

FOLLINI

ANTONII ARRIGHII JURIS PONTIFICII HISTORIA

Quattuor Disputationibus comprehensa.

ACCESSERUNT

EJUSDEM ORATIONES TRES

I. PRO

JURISDICTIONE PONTIFICUM.

II. DE

ECCLESIIS SUBURBICARIIS.

III. DE

AGRO LIMITATO.



PATAVII. CIƆ IƆ CCXXXI.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS

Superiorum Permissu.

ANTONIUS ARRIGHIUS

DOMINICO RUZZINO

SENATORI AMPLISSIMO,

S. P. D.



UM Juris Canonici feculorum fexdecim hiftoriam, fuperioribus diebus, quattuor enarrationibus effem perfecutus; eaque attuliffe, ab optimis quibufque collecta monumentis, pluribus viderer, quæ ad lucem aliquam ac laudem ejufdem difciplinæ, & commodum adole-

ſcentium pertinerent; hortati ſunt non pauci, ut fit plerumque, ut illa ipſa ederem, ac publici juris facerem. His ipſe reſtiti, eorumque vocibus, quoad mihi licuit; cujus mei conſilii iidem teſtes eſſe poſſunt, qui, ut emitterem, poſtularunt; quique hoc norunt, quam lucem reformidem, & hominum judicia. ſed tandem conviciis propemodum, juſſuque illorum, & auctoritate victus, eodem flexi animum, quod ea via, Ampliſſime Senator, potiſſimum judicarem, mei erga te ſtudii & obſervantiæ teſtimonium aliquod exſtare poſſe. Quæ enim in me merita contuleris, boni hic omnes ſciunt; & ipſe ego ſic intelligo, a me tibi ſic deberi, ut vitam debeam. Habe tibi igitur hoc munuſculum; quod ſi non eſt ejuſmodi, ut gratiæ par ſit ulli referendæ; id certe ſit, unde plane cultum erga te meum, memoriſque animi, & grati officium omnino intelligas. Eo autem magis meam rationem probaturum te confido, quod illa afferam, quibus optima Religio, vitæque ſanctioris, ac morum elegantia continentur. Is nempe es, qui nihil fere præter pietatem ac virtutem probes. Vel una tua de hac re Prætura

Pata-

Patavina exemplo ſit, quam ſuperiore anno ſanctiſſime geſſiſti; quamque hæc Civitas quaſi formam quamdam, regendique artem, ac virtutis imitationem memorare ſolet. Qua in re, ne quis jam ſit, qui hoc me auribus dare putet, civium ipſorum voluntates teſtatas habes. Sed de me ipſo ut hoc jam habeas, in tanto eorum numero, qui Juris Pontificii hiſtoriam reliquerunt, cur quaſi ſuccenturiatus ego acceſſerim, paucis exponam. Ecce autem una hæc ipſa cauſſa eſt, ut, quæ diſperſa, ac propemodum infinita in pluribus commentariis eſſe videntur, dilucide ac perſpicue, quantum facultas noſtra tulit, ac paucis pagellis comprehenderem, ſtudioſorum commodo. Deinde ut Jus Pontificum, clariſſimis initiis, ac nobilitate illius objecta rurſus oculis, amare illi inciperent, qui nullam fere eodem contineri doctrinam reconditiorem arbitrantur, aut libero homine dignam. Poſtremo, ut ad pacem aliquam, ſi fieri id tamen poteſt, rem adducerem. ſunt enim aliquot jam ex noſtris, qui fortaſſe acerbius quam par eſt, ac nimia quadam credulitatis abundantia, amoriſque ducti, res enarraverunt. ſunt autem ἑτερόδοξοι, qui odio, livo-

livore, immanique quadam rabie, cum Jus arripuere, omnia fere miſcent, perſtrepunt, maledicunt, conviciantur; relictaque veritate, modeſtia, & cauſſa publica, Pontifices, aut Pontificios, ut ipſi appellant, inſectantur. Quod facere hos minime oportuit. Recte igitur hoc nomine olim Auguſtinus Petilianum Donatiſtam, ut eſt Lib. III. Cap. I. reprehendit. *Relicto*, inquit, *negotio publico, privata quadam ſimultate, hominis unius vitam maledictis opprobriis inſectatus es, quaſi homo ſit cauſſa, quæ inquiritur.* Morum iſtiuſmodi itaque pertæſus; juſtitiæ, ac veritatis tantum cupidus, fontes ipſos adii. Ac ne ſingula conſecter; qua potui diligentia, viros purpuratos, Baronium, Bonam, Bellarminum evolvi; prærterea Petavium, Sirmundum, Labbæum, Doviacium, Petrum a Marca, Antonium Auguſtinum, ac Stephanum Balluzium. Jam cum intelligerem Juſtellos duos in Juris Pontificii hiſtoria verſatos diligenter; & ſi hos quidem Marca aliquando litteris ad Alexandrum VII. & Lucam Holſtenium fraudis coarguerit; quæ ipſi tradiderunt, legi ſummo ſtudio; nec neglexi ea, quæ olim Voëllus, Blondellus, Du Pin, Fleury, Dal-

Dallæus, Mornæus; quæ nuper item viri ſummi, Gerardus, Van Eſpen, Fontaninus docuerunt. Ex hiſce igitur meas lucubrationes quattuor expreſſi; ac ſive ex noſtris eſſent, ſive eſſent ἑτερόδοξοι, ſtudium hoc fuit unum meum, ut, nugis & conviciis omnino excuſſis, ea modo arriperem, quæ ad veritatem pertinere exiſtimarem. Ceterum quæ in illorum libris inveni, ipſe trado. Nil ex me gignere, narrare, comminiſci, aut volui, aut debui. Quod utinam ante me aliqui feciſſent, nec in re tanta augurari, divinare, quodque turpiſſimum eſt, mentiri voluiſſent. Id nunc eſt reliqui, Ampliſſime Senator, ut hæc, qualiacumque ſint, judicio tuo ornes; ſuffragioque, & auctoritate tueare. Hac fretus, adverſa nulla unquam pertimeſcam. Quid enim verear, quandiu vos mihi aderitis Patruus, ac Fratres quinque, eximia Urbis Venetæ decora, & ornamenta? quandiu Ruzzinum nomen ad R. P. Immortalis, bonorumque laudem, & tuitionem natum? Vos ego intueor, in quos hæc Civitas, atque Academia; in quos Collegæ mei, Viri optimi doctiſſimique, facile intuentes, felices beatique eſſe in veſtra

clien-

clientela ac fide judicantur. Teque ipse ego unum maxime, qui famæ, quæ hominibus honestis vita ipsa carior est; qui honori meo, & commodis consuluisti. Vale.

Patavio Prid. Cal. Dec. MDCCXXVII.

A N-

ANTONIUS ARRIGHIUS

Viro Doctissimo, Clarissimoque Hyacintho Serry Doctori Sorbonico, & in Gymnasio Patavino Theologiæ Professori S. P. D.



ULTIS de caussis, eisdemque gravissimis, quas, datis litteris ad Virum ornatissimum, Dominicum Ruzzinum, commemoravi, adductus sum, ut, postquam oratione populari Juris Pontificii fontes indicavi, ejus brevem nunc ederem historiam, & origines latentiores pertentarem; quo omnes hoc intelligant, verum esse id, quod Viri eruditissimi sæpius prædicarunt, Jus Pontificum disciplinam esse a recta prorsus ratione ductam, & artibus præstantioribus excultam; eosque, qui ad hanc accedant, a maximis præsidiis imparatos, operam & otium miserrime consumere. Sed hasce elucubrationes, rebus difficillimis, & gravissimis implicitas, ut perlegas, ac pervolvas ipse diligenter, ad te mitto; quidque omnino sentias, vere sincereque, ut tuum est, ad me scribas; ut, si forte probes, sperare jam incipiam, id fore, ut docti probent omnes, honestaque suffragatione mihi assentiantur. Te unum ego ex omnibus delegi, cui tantam rem committerem; quem monere posse, & edocere judicarem. Qui in totius Europæ luce positus, generi mortalium admirationi es. In quem Galli tui, nostri item Itali, nunc respiciunt; quemque unum maxime Patavina Academia se habere gloriatur, quem Anglis, Germanis, & ceteris

 teris

teris Nationibus excultissimis opponat. Collegæ, amicique tui periculum hac in re vides. Nam si quid offendero, probe nosti, quam graves, acerbique delatores affuturi sint. Res opesque meæ igitur, in doctrina & bonitate tua sitæ sunt: Vale.

Pat. Prid. Cal. Decemb. MDCCXXVII.

Viro

Viro Clarissimo

ANTONIO ARRIGHIO

In Gymnasio Patavino Sacrorum Canonum Professori Celeberrimo Fr. Hyacinthus Serry Theologorum minimus S. P. D.

QUOD a te adornatam, scholisque dictatam nuper Pontificii Juris Historiam, non antea velis prælo committere, quam ab optimo cognitore perlegatur, & approbetur, modestiæ tuæ deputo, rectæque prudentiæ. Scis enim, Vir Clarissime, morosiorem oculorum censuram esse, quam aurium; aliudque longe esse, rudi, atque otiosæ Juventuti verba facere, aliud morosam eruditorum Lectorum censuram subire; hoc præsertim seculo erudito, ingeniisque ad ferendum tota libertate judicium, plus æquo intentis, ac pronis. Verum quod, relictis tot illis, quibus Ordo vester efflorescit, doctissimis Viris, in me unum conjeceris oculos, a quo id officii postulares; vereor ut satis consulueris famæ tuæ, atque tutelæ, satis etiam pudori meo peperceris. Ecquid enim præsidii, atque tutelæ accidere tibi potest, contra ingeniorum venena, seculique livorem, ex viri umbratilis, aliisque studiis dediti commendatione, atque suffragatione? Aut quid ego in Jurium scholis valeo, ut de tuis lucubrationibus, salva fronte, judicium faciam? Has tamen, quandoquidem mandas, & legi, & evolvi diligenter, maluique jussis tuis obsequi, quam pudori meo: statimque

in ipso gustu, primaque promulside, reconditas litteras, profundam eruditionem, antiquæ memoriæ cognitionem uberrimam deprehendi: sed acre in primis judicium, & critica scientia peritiam singularem demiratus sum, qua Jus Pontificium repurgasti, ac subegisti, rejectis, & ad quisquilias amandatis Canonibus longe multis, Constitutionibus Apostolicis, Epistolis decretalibus, aliisque prisca, ut jactabatur, ætatis Statutis, Legibus, atque Dictatis; quæ minus cautis Jurium interpretibus fucum fecerant. Simulque Academia Patavina sum gratulatus, quod ope tua, litteræ illæ postliminium repetant, quæ ad exteras gentes, sublatis olim sarcinis, commigraverant. Quominus in eruditæ lucubrationis tuæ commendationem addam alia, vetant illæ ipsæ laudes immodicæ, quibus me cultissimis epistolis commendasti; ne laudem pro laude rependere videar; neve, quod iniquius sit, malignus forte tuæ mentis interpres, veras te laudes falsis fœnerare voluisse putet. Utcunque sit, Vir Clarissime, has ego laudes, quas tuus in me nimius amor inter scribendum effudit, si meas agnoscam, pereat mihi frons; si meas noverint alii, pereat de genere humano fides omnis. Quare hoc tu scito, persuasumque habeto, malle me a te, tuisque similibus, diligi, quam laudibus ferri: ne quis mihi illud Ovidianum occentet:

Qui legit has laudes, an mereare rogat.

Vale, ac vive diu litteris redeuntibus, vive & Academia tuo adventu reflorescenti.

Patavii Postrid. Cal. Decembris MDCCXXVII.

NOI

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVENDO veduto per la Fede di Revifione, e d' Approvazione del P. *F. Tommafo Maria Gennari Inquifitore*, nel Libro intitolato: *Antonii Arrighii Publici Juris Pontificii Profefforis Acroafes IIII. de Jure Pontificum univerfo*. ec. non effer cofa alcuna contro alla Santa Fede Cattolica; e parimente, per Atteftato del Segretario Noftro, niente contra Principi, e buoni coftumi, concediamo Licenza a *Giufeppe Comino Stampatore in Padova*, che poffa effere ftampato; offervando gli Ordini in materia di Stampe, e prefentando le folite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 4. Decembre 1727.

(Carlo Ruzzini Cav. Proc. Rif.
(Alvife Pifani Cav. Proc. Rif.
(

Agoftino Gadaldini Segretario.



DE JURE PONTIFICUM
UNIVERSO ACROASIS I.



E Legibus Pontificum, IIIvirum Ampliſſimorum juſſu, verba hoc anno facturus, e re fore exiſtimavi, ac loci hujus dignitate, ſi, quemadmodum ab ſummo inde initio ad hæc uſque tempora geſta omnis, contractaque res ſit Juris Pontificii, paucis oſtendero; ut facie propoſita ante oculos ſtudioſorum negotii univerſi, & ego filum quoddam quaſi ducam rerum tradendarum, & illi ipſi in tam variis judiciis, quæ de hoc apud Auctores inveniuntur, minus hæreant, vel labantur. Namque his annis homines exſtitere, doctrina illi quidem & eruditione ſumma prædıti, non ita fortaſſe modeſtia, ac pietate, qui ad rem adgreſſi, omnia perturbarunt; eaſque ſyrtes & ſcopulos de induſtria

ſtria

ſtria ædificarunt, ut vel peritiſſimi facile offendant. Id quod in artibus ac diſciplinis ſæpiſſime contingit, cum ducta ingenia non ſtudio veritatis perquirendæ, ſed partium amore, odio, ac lubidine quadam, ut eximia facundia ac divitiæ orationis oculis objiciantur, rem ita perſequuntur, ut potius involvant, quam expediant. Utinam hæc calamitas Juri Pontificio minime obtigiſſet; nec homines acuti moroſique orti eſſent, qui rabie quadam in Pontifices, vel nimia benevolentia acti, omnia permiſcerent; motuſque atque ambages eas ſcientiæ tranquillæ, ac tenebras, obtenderent, quæ per hæc tempora operam navantibus laboris tantum ac moleſtiæ afferre ſolent. Scilicet jampridem artem hanc abſolutam perfectamque prorſus haberemus; nec libri ii in manibus verſarentur, quos probris, & injuriis, infamique contumelia plures referſerunt; cum dedecore & ignominia Chriſtianæ pietatis, quam tueri ſeſe, ac profiteri, palam gloriantur, eo ipſo tempore, quo oppugnant. Neminem hic ego eſſe arbitror, qui ſic exiſtimet, hæc me confingere, aut temere pronuntiare. Res ſunt in medio, hominumque facta, quorum opera & Leges, & Pontifices, ſacrorumque ritus ab ipſis confirmati, receptæ cærimoniæ, fundatæ ac ſtabilitæ conſuetudines in odium plurimorum, voculaſque devenere. Eaque tum maxime hominibus contigerunt, cum illi prædicarent, ſe ſumma ope id unum age-

agere, ut veritas, & religio, abditæque res in apertum proferrentur; cum tanto illo attritu, ac sævitia opinionum, id tantum egerint, ut flamma veritatis, cum vellent elucere, propemodum extingueretur. Id manasse inde boni omnes arbitrantur, quod animis iratis, caninaque rabie acta ab his res, gestaque omnis est; non pie, non christiane; justitiæ studio nullo, jurisque retinendi. Igitur, cum se acres, elatos, ferocesque in scribendo præbuerunt, apparere, non quæsitam veritatem, sed quemadmodum hominibus verbis phaleratis inferri injuriæ, referrique possint. Religioni Christianæ, eique disciplinæ, quæ de illa est, turbæ, tumultus, prælia, sævæ tempestates plurimæ obtigere. Sic enim Christo visum est, ut gravissimis contentionibus sæpius jactaretur. Sed tamen, cum hostibus abundaret, defensoribus non caruit. Porro postulo, an ne hi in illos in negotiis gravioribus convicio & contumelia unquam decertarint? An neglecta humanitate, eaque moderatione, quæ decet viros probos, presertim Christianos, manus conseruerint? An potius depugnarint lenitate, caritate, illustrium doctrinarum atque argumentorum vi vel cum impuris & inimicissimis? Hi hominum sanctissimorum aculei fuere, hæ hastæ, hi enses, hæc arma denique in præliis adhibita. Possem ego plurima hujusce rei afferre testimonia, sed modum adhibebo. Scribit Gregorius in Apollinarem, Eunomium, Manichæum;

Cyrillus in Neſtorium; Euſebius in Porphyrium; Cyprianus in Demetrianum; Nazianzenus in Julianum; Auguſtinus in Pelagianos, Manichæos, Donatiſtas; alii in alios. Arguunt illi quidem furorem & inſaniam; & acie rationum ac firmamentorum appoſita undequaque, veluti quibuſdam catenis injectis, compeſcere conantur; ea tamen laude adhibita modeſtiæ & humanitatis, ut non agere cum hoſtibus, quemadmodum revera illi erant, ſed cum fratribus quibuſdam, errore alienatis, videantur. Quid? nonne Baſilius, ſcribens in Eunomium, tantum ab injuria abeſt, atque contumelia, ut eum feſtive etiam, quæ formicæ natura ſit, interroget? & tamen hi omnes cum iis conflixere, qui furiis feralibus veluti exagitati, aris, templis, divinis ſacrificiis, univerſæ R. P. Chriſtianæ atrox bellum, ac nefarium indixerant. Paullo fortaſſe vehementior Nazianzenus adverſus Julianum aliquibus videbitur. At in hoſte tam impio, tamque ſcelerato quid erat, quod dici mitius poſſet, qui non vi tantum ac tormentis, ſed dolis, inſidiis, & fraude quadam incredibili in homines innocentiſſimos, & optimam Religionem ferebatur? Nunc, moribus mutatis, hi homines ab hominibus plurimum adamantur, qui plurimis maledictis uti ſolent; hi præſertim, qui conviciis & calumniis, de trivio arreptis, occentant Pontificibus, eorumque Legibus, in rebus vel leviſſimis; qui omnia illorum miſcent, exſi-

exſibilant , explodunt . Meas ergo partes arbitratus ſum, quando, Principis Sereniſſimi beneficentia, locum hunc teneo, pro virili Jus tueri ; nullaque acerbitate orationis rem omnem illuſtrare; atque, ut dixi jam, quo magis omnia, magiſque ſtudioſis in aperto ſint , ſpeciem initio rei totius ante oculos proponere; quod quattuor Enarrationibus expediam . Utinam in re hac, ceteriſque partibus ad Jus Pontificum pertinentibus , eorum , qui ante me ſedem hanc obtinuerunt, vim exprimere, ac doctrinam aliqua ratione poſſim ; Petri præſertim de Amatis , qui nuper ex hoc loco , ingenti omnium plauſu, ad principem translatus, ob morum probitatem , artiumque commendationem , qua in legibus conſenuit, carus omnibus, acceptuſque eſt. ſed certe, quod in me erit, id omnino agam, ut; ſi minus copia litterarum, atque ſapientiæ; ſtudio tamen , labore , diligentia poſſim utcunque comparari.

Chriſtus igitur initio, ut inde a capite arceſſam diſputationem , novo icto fœdere , Eccleſiam fundavit ; vitæque exemplis , ac Legibus ſanctiſſimis munivit. Apoſtoli deinde , doctrina illius ac præceptionibus imbuti, eidem præfuere; honore pares, poteſtate impares; ſcilicet in Petrum collato principatu; eamque rectis inſtitutionibus, ac diſciplina dilatarunt. In qua tamen diu humanæ gentes nequaquam permanſerunt; aliis mobilitate ingenii novis rebus ſtu-

dentibus; bella autem aliis, ac turbas conferentibus de moribus ac fide, de cultu & cærimoniis adhibitis in Ecclesia; omnibus turpissime a vetere instituto ac simplicitate deflectentibus. Quo factum est, ut, qui ceteris præessent, cum per sese opinionum pestem erumpentium comprimere non possent, majores minoresve, ut monere res ipsæ viderentur, indicerent conventus. Hic mos inductus ab Apostolis, qui primi Hierosolymæ conventus habuere, ad ceteros manavit. Eaque initia, & caussæ conventuum fuere; qui tribus primis seculis raro habiti; sequentibus duobus frequentius indici; deinceps autem inde negligi propemodum cœpere. Porro quæ de Concilii sententia, communique Patrum omnium suffragio, constituerentur, Canones sunt appellati; quasi regulæ, ac præscriptiones quædam credendi, vivendique, ex Sanctarum Scripturarum libris, qui Canonici dicebantur, expressæ ac derivatæ. Eaque appellatio apud Græcos, artifices præsertim, in usu fuit, qui canone scrutari, num recte ne, an perperam aliquid ageretur, dicti sunt, ut legimus apud Aeschinem, & Porphyrium in Harmonicis; cujus hæc sunt verba, ex Græco versa, quæ is ex Ptolemaide Cyrenaica, fœmina clarissima, de scientia Canonica, quæ deinde Harmonica dicta est, refert: *Canonicum vero studium*, inquit, *juxta quos est generalius? Juxta Pythagoricos. Quam enim nos nunc vocamus Harmonicam, illi appellabant Canonicam.*

Sed

Sed cur illam Canonicam vocamus? Non, ut censent quidam, a canone instrumento, sed a rectitudine; quoniam recta ratio invenit id, quod rectum est, quando utitur regulis, seu canonibus Harmonicis. Hi autem Canones, qui eo consensu, quem dixi, a Patribus constituebantur, duplicis generis fuere. Alii enim de rebus ad fidem pertinentibus scripti sunt; iique proprie δόγματα appellantur; alii de moribus, externaque disciplina, ac ritibus Ecclesiæ, qui voce sua Canones dicuntur, hoc est, regulæ, sive constitutiones. Cujus est rei exemplum in Novella Græca CXXXI. quæ De regulis Ecclesiasticis & privilegiis inscribitur. Afferam ego verba Imperatoris, quæ Burguntio, sive alius quispiam, sic latine vertit: *Sancimus*, inquit, *igitur, vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ a sanctis quattuor Conciliis expositæ sunt, aut firmatæ; hoc est, in Nicæna CCCXVIII. & in Constantinopolitana Sanctorum CL. Patrum; & in Ephesina I. in qua Nestorius est damnatus; & in Chalcedonica, in qua Eutyches cum Nestorio anathematizatus est. Prædictarum enim quattuor Synodorum dogmata, sicut Sanctas Scripturas, accipimus, & regulas, sicut leges, observamus.* Apparet, Imperatorem Canones pro legibus haberi velle, quorum alios δόγματα, quæ pertinent ad fidem; alios autem regulas, quæ ad mores referuntur, nuncupat. Quæ tamen differentia temporibus posterioribus & Conciliis non ita forte retenta semper est, ut quispiam cum fide possit affirmare alterum

rum pro altero a Patribus usurpatum nequaquam inveniri. sed id quidem non est hic locus, ut persequar diligentius. Ad Canonum originem, & progressionem veniamus. Tribus igitur primis Religionis Christianæ seculis Sanctarum Scripturarum libri dumtaxat in manibus versabantur. Nulli fere erant Canones, cum conventus nulli, aut certe paucissimi, habiti fuissent. Primum autem Concilium esse dicitur, quod Hierosolymis ab Apostolis coactum est; quod deinde Actibus Apostolorum adjectum fuit; quæsitumque est in eo, de Mosis legibus ad cærimonias pertinentibus, an iis Christiani obligarentur? Libertas Christiana asserta; editique Canones, ut intra fines Syriæ, Ciliciæ, Antiochiæ, ne genti Judæorum essent offendiculo, ab idolothytis, sanguine, suffocato, & scortatione omnes abstinerent. Seculo secundo adversus Cataphryges, & Montanum, ac de Paschali controversia, in Syria, Palæstina, Asia, Romæ item, atque in Gallia habiti conventus, plurimique Canones constituti. Tertio deinde fere medio in Novatum Romæ, eosque qui illius partes sequerentur, habitum Concilium est, in quo nulli Canones memorantur editi, sed δόγμα ejus recitat Eusebius lib. VI. Hist. Eccles. cap. XXXV. cujus hæc sunt verba, reddita latine: *Ob quam rem*, inquit, *Concilium maximum Romæ cogitur, in quo LX. Episcopi & Presbyteri totidem, & amplius, una cum Diaconis in unum conveniunt. A Pastoribus etiam*

sepa-

separatim per singulas cujusque regionis provincias, quid ea de re agendum esset deliberantibus, colloquia fiunt. Ab omnibus δόγμα constituitur: Novatum, ejusque fautores, tanta superbia inflatos, & quotquot illius inhumanissimæ, & a fraterna caritate alienissimæ opinioni assentirentur, in eorum numero, qui erant ab Ecclesia exclusi, haberi. Fratres autem, qui casu infelici prolapsi fuissent, pœnitentiæ medicamentis curari, & ad sanitatem restitui. Aliæ item Synodi hoc seculo habitæ dicuntur in Africa, Asia, Occidente: sed nulli fere Canones in diptycha Ecclesiastica, ex iisque in codicem Canonum relati memorantur. Primi autem Canones, qui in hoc exstant, scripti sunt in Synodo Ancyrana Provinciali, quæ sub Silvestro Pontifice, & Constantino Imperatore Ancyræ in Galatia habita est initio IV. seculi, ut Baronius auctor est. Hanc deinde Neocæsariensis, itidem Provincialis, consecuta est, cui Vitalis Episcopus præfuit, non Salonitanus, ut legitur apud Gratianum, sed Antiochenus, hoc est, ille ipse, qui una cum XVIII. Episcopis præfuerat Ancyranæ. Ejus autem Canones XIV. fuere, non XXIV. ut legitur in quibusdam codicibus non emendatis Gratiani. His Synodis duabus commoda non exigua Ecclesiæ parta sunt. Plurimi enim, sæviente Maximino, Religionem deseruerant, aut certe gravius aliquid in illam, ac sese admiserant. Cautum Ancyrana, si in fidem rediissent, qua lege excipiendi. Itaque formulæ non paucæ, eæque modera-

dera-

derationis plenæ, ac ſanctitatis prodiere. Porro altera, ſcilicet Neocæſarienſi, præſcriptionibus ſanctiſſimis Eccleſiæ diſciplina, ac mores conſtituti. Mox Laodicena, ut Baronius putat, in qua Canones LIX. tum Synodus Gangrenſis, in qua editi XX. celebratæ; quas Nicæna I. Oecumenica CCCXVIII. Epiſcoporum excepit, in qua Canones XX. ſcripti ſunt. Veriſimile eſt, ex hoc tempore, Canonum collectionem cœptam eſſe, hoc eſt, codicem illum Canonum, qui deinceps dictus eſt Eccleſiæ Univerſæ; in quem codicem Canones Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangrenſes & Laodiceni ſunt relati; Antiocheni item, & Conſtantinopolitani, denique Epheſini, & Chalcedonenſes; ejuſque codicis exemplar unuſquiſque Epiſcopus habuiſſe fertur; ipſumque in diptycha Eccleſiæ ſuæ retuliſſe. Igitur poſt tempora Synodi Nicænæ Eccleſia Jure duplici uti cœpit; ſcilicet Divino, quod Sacris Litteris, & Canonico, quod codice Canonum continebatur. Iique codices, cum conventus haberentur, in medium afferebantur, ut peti inde δόγματα ad fidem pertinentia, deque diſciplina obortæ controverſiæ poſſent definiri. De Scripturarum codice, illuſtre eſt teſtimonium, quod legimus in actis Concilii Chalcedonenſis, ubi crebro hæc inveniuntur verba, ex græco ſic latine verſa: *Antepoſito in medio Sacroſancto & Venerabili Evangelio.* & in Apologia Cyrilli Alexandrini de Concilio Epheſino ad Theodoſium. *Sancta*, inquit, *Synodus*

dus Christum confessorem, & velut caput, constituit; Venerandum enim Evangelium in sancto throno collocatum erat, sacerdotibus insonans: Justum judicium judicate. Denique, ut loca plura alia omittam, in Epistola Synodica Concilii Aquilejensis; tomo I. Conciliorum; cui præfuit Ambrosius, Episcopus Mediolanensis, cujus hæc sunt verba: *Proposita in medio Divinæ Scripturæ*. De codice autem Canonum in ipsa quoque sermo est Synodo Chalcedonensi, quæ ex eo Canones commemorat LXXXIII. LXXXIV. XCV. XCVI. & ex Canonibus commemoratis definit controversias. & in Epistola Synodica Episcoporum provinciæ Pisidiæ Asianæ diœceseos ad Leonem Imperatorem, quo loco Canon LXXXIII. citatur, qui quartus est Antiocheni Concilii. Dionysius item Exiguus in Epistola Paschali I. ad Petronium Episcopum Canonis meminit LXXIX. qui primus est Synodi Antiochenæ; & in Epistola ad Stephanum, Salonitanum Episcopum, quam veteris illius codicis Canonum Latinæ interpretationi præposuit, Canones a Nicæno Concilio I. ad Constantinopolitanum I. nempe a I. capite ad CLXV. enumerat, *sicut in Græca*, ut ipse inquit, *auctoritate*, Conciliorum ordine ac numerorum serie dispositi erant. Huc Leonem I. respexisse apparet, & Synodum Romanam in ea Epistola, quam ad Theodosium Imperatorem misit, ut in Italia Synodum juberet cogi generalem; quod Canonum Nicænorum decreta pe-

terentur, quæque *subterannexa* erant; qua voce Canones Conciliorum intelliguntur, qui a Nicæno ad Constantinopolitanum, numerorum serie una comprehensi, in veteri codice Canonum perleguntur. Hanc collectionem ex Synodo Chalcedonensi Cæsarem Baronium olfecisse putant homines doctissimi, cum illius meminit Tomo III. anno CCCXXXXI. num. XXXIV. Ac Synodi ejusdem Chalcedonensis ope, veteris codicis restituendi rationem conatus est afferre nobilis ille Anonymus (quod Gerardus tradit) auctor consultationis de celebri controversia inter Paullum V. hujus nominis, & Venetos; quem doctissimi quique existimant fuisse Jacobum Leschasserium. eoque Synodi Chalcedonensis testimonio Antonius Augustinus lib. I. Dialogo XI. usus, contendit, Canones Antiochenos esse authenticos & probatos. *Receptos*, inquit, *esse constat, & in Corpore Canonum positos ante Concilium Chalcedonense, ut in ejus Concilii actione XII. Græcis, Latinis XI. apparet: ex libro etiam Latino, quem eodem nomine, Corpus Canonum dicimus, quem aperte Leo IV. in Epistola ad Episcopos Britanniæ approbat.* Appellat Augustinus Corpus Canonum, librum illum, quem alii appellant Codicem Canonum; quique Græcis dicitur βίβλος κανόνων. Ejusdem est mentio in Synodo Bracharensi I. Can. XVIII. & Toletana IV. Can. III. apud Nicolaum & Leonem, Pontifices Maximos, quos citat Gratianus in Can. Si Romanorum, Dist. XIX. Romani e-

men-

mendatores Gratiani, codicis hujusce tribus exemplaribus MSS., cum Decretum emendarent, se usos profitentur; eumque non codicem Ecclesiæ universæ esse, sed Romanæ, qui tamen sit ex illo expressus. Hoc etiam video a doctis viris animadversum, codicem hunc Canonum pluribus nominibus aliis appellari. Nam & Corpus Canonum, ut de Antonio Augustino diximus; & liber Canonum, & liber Constitutionum Apostolicarum dictus est. Postrema hæc appellatio legitur in Synodo Nicæna II. act. II. *Tharasius sanctissimus Patriarcha inquit: Legatur Canonicarum Constitutionum liber*. Porro in hunc librum, tanquam in locum certum, Canones a veteribus sunt collati, editi in Conciliis, ne mentes hominum incerto ullo jure unquam jactarentur; caussasque affert Leschasserius in ea, quam supra memoravi, consultatione. *Voluerunt*, inquit, *Patres, Ecclesiam habere corpus certum regularum sui Juris, quas ex certis Conciliis collegerunt, & Concilia certo ordine disposuerunt, certoque, & immutabili numero Canones illorum complexi sunt; cui neque addi, neque detrahi a quoquam posset; ut, hoc quasi vallo & muro septum, Juris corpus adversus falsi crimen undique tutum esset. Neque tantum, ut falsum prævenirent, solebant veteres jura sua in certa corpora colligere, sed etiam, ut vim omnem juribus, extra collectiones, publica auctoritate factas, vagantibus & dispersis adimerent*. Eædemque caussæ Theodosio & Justiniano Imperatoribus fuere, cur codices quisque suos

conficerent, & in eos, Imperatorias Constitutiones, in plurima volumina dispersas, inferrent; ne aliter quam ex ipsis codicibus eæ in judiciis proferrentur. Ceterum hi Canones, de quibus adhuc dictum est, quamquam codice memorato comprehensi, in diptycha præterea Ecclesiastica inseri consuevere. Testis ejus rei est locuples Justinianus in L. VII. C. de summa Trinitate; cujus hæc sunt verba ex Græco versa: *Nullus itaque*, inquit, *frustra nos turbet, spe vana innixus, quasi nos contrarium a supradictis quattuor Conciliis fecerimus, aut faciamus, aut fieri a quibusdam permittamus, aut aboleri eorumdem sanctorum quattuor Conciliorum piam memoriam ex dictis Ecclesiæ diptychis sustineamus*. Id ipsum comprobatur sexta Synodo collat. II. *Nam sanctas*, inquit, *quattuor Synodos majestas ipsius* (nempe Justiniani) *sacris diptychis inseri & publicari fecit*; *quod ante imperium ei divinitus concessum non procedebat*. Porro codex ille Concilio deinde Chalcedonensi confirmatus est, cui DCXXX. Episcopi interfuere, seculo quinto fere medio; deinde etiam Novella CXXXI. Imperatoris, cujus jam supra meminimus. Idque ansam dedit doctissimo viro Eichelio, in præfatione ad Procopii ἀνέκδοτα, ut diceret, eum codicem esse partem quamdam Juris Justinianæi. Et certe apparet, Justinianum ex eo codice Constitutiones suas Ecclesiasticas derivasse, quæ in libris Codicis atque Novellarum exstant. Græci deinde Codicem, seu Corpus Canonum adauxere;

re; ſcilicet Canonibus LXXXV. Apoſtolorum, de quibus ſuo loco poſtea diſceptabimus; Canonibus quibuſdam Concilii Sardicenſis; Africæ Conciliis; Canonicis Epiſtolis Theophili, Dionyſii, Petri, Athanaſii, Timothei, Alexandrinorum Epiſcoporum; Gregorii præterea Neocæſarienſis, Baſilii, Nyſſeni, Gregorii Theologi, Amphilochii, Iconii & Gennadii, Patriarchæ Conſtantinopolitani. Eumdemque eo modo auctum deinde confirmavit Synodus Nicæna II. quæ habita eſt anno DCCLXXXVII. Ac Chriſtophorus Juſtellus, aliique docti viri, ex hoc codice Jus Canonicum, quod nunc vocamus, originem ſuam duxiſſe omnino exiſtimant; eademque Canonum collectione utramque Eccleſiam cum Orientis, tum Occidentis diu uſam eſſe; atque ex Oriente in Occidentem, & Africam Canones, eorumque collectiones perveniſſe. Hoc præterea viri judicio ſummo, ac ſapientia præditi animadverterunt, Eccleſiam Occidentalem ante Concilii Nicæni tempora nullos fere Canones habuiſſe, ſed Sacrarum Scripturarum libris, ac non ſcripto jure uti conſueviſſe; poſt Concilium vero Nicænum ejus ſolos Canones recepiſſe uſque ad Innocentium I. qui ſeculo V. ineunte Pontificatum Maximum adeptus eſt. Id oſtendit ipſius Epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanum, quæ legitur apud Sozomenum libro VIII. cap. XXVI. Cujus hæc ſunt verba, ſic latine reddita: *Nos enim*, inquit, *quantum ad Canonum obſer-*

observantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt; quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere Ecclesia Catholica debet. Si qui vero & alii quibusdam proferuntur, qui a Canonibus Nicænis discrepant, & ab Hæreticis compositi deprehenduntur, hi vero ab Episcopis Catholicis rejiciuntur. Hæreticorum enim commenta Catholicis Canonibus adsuere non licet; semper enim vel per contraria, vel per illicita labefactare student voluntatem Concilii Nicæni. Non solum igitur his non obtemperandum esse dicimus, sed ipsa potius una cum Hæreticis, ac Schismaticis dogmatibus esse condemnanda; quomodo & antea in Sardicensi Synodo ab Episcopis prædecessoribus nostris factum est. Porro prima hæc Canonum collectio, de qua adhuc dictum est, caussa quodammodo, & occasio fuit reliquarum, quæ deinceps adornatæ sunt. Novis enim editis Canonibus, industria plurimorum excitata est, ut illi ipsi in certa quædam corpora conjicerentur. Sic Stephanus, Episcopus Ephesinus, qui Magni Theodosii ævo floruit, Concilii Constantinopolitani I. Canones collegit, addiditque Canonibus Nicænis, Ancyranis, Neocæsariensibus, Gangrensibus, Antiochenis, ac Laodicenis; quodque nunquam antea contigerat in collectionibus Nicænis, operi præposuit nomen suum. Deinde Dionysius consecutus est, Exiguus cognomento; de quo cum tam multa a veteribus scripta esse videam, pauca quædam pro re ac tempore, ego addam, quæ vobis non ingrata fore arbitror. Fuit is Scytha,

Mona-

Monachus instituto, ac deinde Abbas. sub Theodorico Rege, ejusque successoribus inclaruit. Plurima scripsisse fertur; in his veteres numerant Paschalem Cyclum, Proteriana, & Codicem, nunc vulgo dictum Dionysianum. Quem Beda, Trithemius, Baronius, Bellarminus laudibus cumularunt. Ex omnibus Cassiodorus, cujus hæc sunt verba: *Fuit, inquit, nostris temporibus, Dionysius Monachus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanus; in utraque lingua valde doctissimus, reddens actionibus suis, quam in libris Domini legerat æquitatem; qui Scripturas Divinas tanta curiositate discusserat atque intellexerat, ut, undecunque interrogatus fuisset, paratum haberet competens sine aliqua dilatione responsum. qui mecum Dialecticam legit & in exemplo gloriosi magisterii plurimos annos vitam suam, Domino præstante, transegit. Pudet me de consorte dicere quod in me nequeo reperire. Fuit enim in illo cum sapientia, magna simplicitas; cum doctrina humilitas; cum facundia loquendi parcitas: ut in nullo se vel extremis famulis anteferret, cum dignus esset Regum sine dubitatione colloquiis —— qui petitus a Stephano Salonitano Episcopo, ex Græcis exemplaribus Canones Ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magna eloquentia luce composuit, quos hodie, usu celeberrimo, Ecclesia Romana complectitur —— Qui tanta latinitatis & græcitatis peritia fungebatur, ut quoscumque libros Græcos in manibus acciperet, Latine sine offensione transcurreret; iterumque Latinos Attico sermone legeret, ut crederes, hoc esse conscriptum, quod os ejus inof-*

inoffensa velocitate fundebat. Vixit temporibus Justiniani Imperatoris. Cumque in Romana Ecclesia minus accurata versio Græci codicis versaretur, ad novam ipse & accuratiorem aggressus est; quam etiam auxit Canonibus aliorum Conciliorum, & aliquibus Pontificum Epistolis Decretalibus. Igitur Dionysianus codex in duas divisus est partes, quarum altera Canones Conciliorum, partim Græcos, partim Latinos continet; eaque pars, codex Canonum Ecclesiasticorum inscribitur. Altera vero pars Epistolas Decretales Pontificum Romanorum complectitur; eaque vocatur, collectio Decretorum, quam exorsus a Siricii Pontificatu, usque ad tempora Anastasii perduxit. Nam quæ Decreta ab Hilario ad Gregorium juniorem inveniuntur, ea ad collectionem hanc primam Dionysianam nequaquam pertinent, sed ab aliis Dionysio posterioribus adjecta sunt. Ceterum collectio hæc Decretalium missa a Dionysio est ad Julianum Presbyterum titulo sanctæ Anastasiæ, qui sub Felice Pontifice, Dinamio & Siphidio Coss. Synodis subscripsit in Urbe celebratis. Eaque ipsa est collectio, quam Zacharias Pontifex in Epistola ad Pipinum, & Episcopos Galliæ librum Decretorum vocat, atque ex eo Siricii, Innocentii, Leonis, & Gelasii capita nonnulla memorat. Porro de auctoritate codicis hujusce Dionysiani sic est intelligendum, privato illum studio susceptum esse; Dionysiique propositum fuisse, non Ec-

cle-

clesiæ Romanæ usui ut illum conderet, sed hominum amicissimorum, qui pristini codicis lectione obscura ac perturbata plurimum offendebantur: ubi autem apparuit; tanti habitum, ut Romana Ecclesia receperit & approbarit; si quædam tamen, eaque non pauca, excipiantur, quæ Pontifices rejecere, utpote contraria Ecclesiæ Romanæ disciplinæ. Is codex, qui Corpus etiam Canonum a Romanis Gratiani Emendatoribus in præfatione Decreti, & in c. I. dist. XIX. appellatur, Carolo Magno Imperatori, cum in Urbe esset, ab Hadriano I. Pontifice Maximo traditus est, ut ex eo Ecclesiæ Occidentis regerentur. De qua re Sirmundus doctissime, hoc est more suo, tomo II. Conciliorum Galliæ disputat. Neque hoc reticebo, in plurimis exemplaribus codicis ejusdem præpositam inveniri Epistolam Hadriani ad Carolum vorsa oratione, cujus hoc est initium:

Divina fulgens doctrina sceptra præcellit Regni
Origo Regum felix, semper genitura beata &c.

quæ apparet esse indicia, ac monumenta seculi barbarie obruti. Sed quoniam is codex ad plurimas Ecclesias Occidentis post manavit, paucis ostendamus, quemadmodum ea res gesta sit. Ac primum quidem, ut ordiar a Gallis, postquam Hadrianus eum codicem Carolo Imperatori commendavit, Ecclesia Gallicana probavit ac recepit; nec verum esse arbitror, quod Petrus a Marca contendit, fuisse in usu apud Gal-

los statim ac fuit editus, hoc est, ante Imperatoris tempora. Jacobus Sirmundus, Justellus, Paschasius, Petitus tam magnas ac multas congessere rationes, ut mihi nugari videantur, qui contra sentiunt. Ad hæc Justellus de codice hoc disputans in Gallia recepto, animadvertit, duplicem fuisse; unum, quem cum Ecclesia universa, Gallia recepit; alterum, qui Gallicanos Canones habuit. Canonum Gallicanorum circa Dionysii tempora loca aliquot inveniuntur, in quibus aperta est mentio. Nam Gratianus Can. Si quis Diaconus, dist. L. testimonium Hormisdæ Pontificis Maximi affert in hæc verba: *Secundum titulos antiquorum Patrum, Sancto Spiritu suggerente, conscriptos, & secundum sententias CCCXVIII. Episcoporum, quas etiam Gallicani Canones continere videntur, clerici in adulterio deprehensi &c.* Deinde in Can. XI. Concilii Tarraconensis anno DXVII. habiti, hæc sunt: *Ut nullus Monachorum forensis negotii susceptor, vel exsecutor exsistat, nisi id quod Monasterii poscit utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante; Canonum ante omnia Gallicanorum de eis constitutione servata.* Sed codex Gallicanus, temporis progressu, Canonibus Africanis, & aliorum Conciliorum auctus fuit; quod colligitur ex Can. VI. Concilii Matisconensis, quod anno DLXXXVIII. celebratum est, cujus hæc sunt verba: *Jam enim*, inquit, *de tali caussa & in Conciliis Africanis definitum est, quam definitionem nostro quoque dignam duximus sociare decreto, & adlocare; ut Sacra-*

cramenta Altaris nonnisi a jejunis celebrentur. Aliquot etiam adauctum Decretalibus Epistolis Pontificum Romanorum insignis probat Canon IX. Concilii Agathensis, quod anno DVI. habitum est; quo loco Siricii Decretalis assumitur, & Canonibus inseritur; eaque Siricii est Epistola ad Himerium Tarraconensem, quæ legitur in codice Canonum Ecclesiæ Romanæ. Codicem deinde Hispani recepere: isque, ut apud Gallos, itidem in Hispania duplex fuit; nempe alter fuit antiquus ille Ecclesiæ universæ, quem docti viri existimant, eos a Romanis accepisse. Alter autem est codex quidam Canonum proprius Hispanorum; in quem nimirum Canones collati Synodorum, quæ habitæ fuissent in Hispania; quorumdam etiam, quæ in Gallia; additis nonnullis Pontificum Romanorum Epistolis Decretalibus. Et quidem, quod attinet ad codicem priorem, habere illum primo potuere ex antiqua Latina, postea etiam ex nova Dionysii Exigui versione, usque ad Martini Bracharensis Episcopi interpretationem. Solet is codex Hispanus Ecclesiæ universæ, nomine appellari Canonum Priscorum, item Antiquorum Canonum, & Codicis Canonum. Nam in subscriptione Concilii Toletani II. hæ leguntur: *Salva auctoritate priscorum Canonum*. Deinde in Concilii Bracharensis I. Can. XVIII. hæc sunt: *Lucretius Episcopus dixit: Necessarium arbitror, si vestra fraternitati videtur, ut instituta Sanctorum Patrum, recensitis antiquis Canonibus innotescant*. Po-

ſtremo in Concilii Toletani IV. Can. III. hæc verba habentur: *Diaconus codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronuntiat.* Quod vero pertinet ad codicem poſteriorem, conflatum illum eſſe ex Canonibus Conciliorum Hiſpaniæ & Galliæ; præterea Epiſtolis quibuſdam Pontificum Decretalibus, apparet ex plurimis locis, quæ loca ample retulit Juſtellus, ut nihil hic a me neceſſe ſit commemorari. Habuit eum codicem, Eccleſiæ nimirum univerſæ, etiam Britannia; ſed duplex ne, an ſimplex fuerit; tum quo tempore huc delatus, vel receptus, non ſatis liquet. In Antiquitatibus Eccleſiæ Britannicæ hoc legitur, Theodorum Archiepiſcopum librum protuliſſe, qui PATRUM CANONES vocabatur; quem etiam in Concilio Herefordienſi probatum fuiſſe, ex lib. IV. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Venerabilis Bedæ conjicere licet. De Germanis, quem codicem habuerint, & quam collectionem, in tanta temporum caligine, & ſilentio Hiſtoricorum, pæne latet. Id notum eſt, temporibus Riculphi, Epiſcopi Moguntini, Iſidori Mercatoris collectionem, de qua poſtea, in has regiones delatam eſſe. De Africa poſtremo paucula dicamus. Omnino certum eſt, & peculiarem quemdam, & communem illum Eccleſiæ univerſæ ibidem codicem fuiſſe. De codice univerſæ fidem facit Fulgentius, Ferrandus, Eccleſiæ Carthaginienſis Diaconus, de cujus collectione deinceps verba faciemus. Peculiaris

liaris autem Afrorum codex ex Conciliis collectus est, habitis in Africa, cujusmodi Concilia Carthaginiensia fuere, Hipponense, Milevitanum. Sed hæc hactenus. Sentio enim, me fortasse Scholæ modum excessisse. Reliquis tribus Enarrationibus cetera expediemus; in quibus de genuinis, ac suppositis Canonibus atque Decretalibus sermo erit. Non minus enim, meo judicio, juvabit excussisse falsa, quam extulisse vera. Oro, obtestorque, ut frequentia eadem ac benevolentia huc reveniatis, qua hodie convenistis.

D I X I.



DE



DE JURE PONTIFICUM

UNIVERSO ACROASIS II.



US Canonicum, quod vocamus, a temporibus Nicænis originem duxiſſe, ſuperiore Enarratione demonſtratum eſt. Id quoniam plures ſunt, qui pernegant; contenduntque a Canonum collectione, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ tribuitur Clementi, repeti oportere, de tota hac re paullo diligentius diſceptemus. Fuit is Clemens Romanus, Fauſtini filius, familia ſenatoria. Pontificatum Maximum annos IX. & menſes VI. totidemque dies obtinuit. Scripta plurima reliquiſſe fertur; in his Liturgiam; Petri, & Appionis diſputationem; Recognitionum libros; ad Jacobum, & Corinthios Epiſtolas; Encyclicas; præterea libros octo Conſtitutionum Apoſtolicarum, quibus adjunguntur Canones Apoſtolorum. De reliqua ſcriptura alii

vide-

viderint. Mihi de Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis erit inquirendum, veri ne, germanique partus sint, an suppositi; tum recte ne, an perperam istiusmodi collectio Clementi tribuatur. Sunt qui affirment, & Clementem collegisse, & collectioni huic nihil falsi inesse. In his Carolus est Bovius, Episcopus Ostunensis, Franciscus Turrianus, ac Thomas Stapletonus, qui in Def. Eccl. auct. lib. II. cap. II. contendit, earumdem Constitutionum librum *spiritu Apostolico plenissimum esse*. Et in princ. fid. doctr. contr. V. q. II. art. V. *nullam rationem obstare quin, si præsens Ecclesia referret has Constitutiones Apostolicas, a Clemente editas, in Canonem Sacræ Scripturæ; nos eas pro Canonicis admittere debeamus, æque atque Epistolam Jacobi*. Hæc eadem sensisse Alanum apparet, qui dial. III. cap. V. multis in hanc ipsam rem disputat. *Summo*, inquit, *Dei beneficio Clementis* διατάξεις, *& Cyrilli* κατηχήσεις, *multis seculis recondita, ad reprimendam Magdeburgensium, & Apologeticorum istam contra Sanctos insolentiam, in lucem prodierunt. Quorum certe testimonia, etiamsi alia deessent, homini non nimis præfracto, ad hanc totam, qua de agitur, quæstionem sufficere possent*. Sed viros istiusmodi, quamquam sint illi quidem copia doctrinarum excultissimi, insigniter deceptos esse, hominum doctissimorum auctoritatibus, ac firmissimis rationibus ostendam. Quod pertinet ad auctoritates, Baronius ad Ann. XXXII. §. XVIII. cum sibi ex libris hisce de Maria Magda-

gda-

gdalena quædam objecisset, tamquam alia a Maria Lazari sorore: *Uno verbo*, inquit, *his liberari possemus, si apocryphum esse librum exciperemus. sane quidem, si hæc dicta sunt a Clemente, quomodo ea latere potuerunt tot antiquos Patres, qui de ea re scripserunt? Cum præsertim tanti Auctoris præcipua fuerit auctoritas in Ecclesia; ut, licet ejus Epistola ad Corinthios scripta, penitus exciderit, tamen, quod sæpius citata reperiatur, pæne revivìscat integra in fragmentis*. Gabriel Albaspinæus Obser. Eccles. lib. I. cap. XIII. p. XXXVII. non tantum apocryphos Clementis libros censet, sed hos præterea, qui aliter sentiunt, insimulat stultitiæ. *Certe*, inquit, *si quis esset, qui Canones Apostolorum, & Divi Clementis Constitutiones, Apostolorum auctoritate sancitas, publicatasque certo affirmaret, imperitus censeretur. Nam qui antiquarum consuetudinum gnari, quo quidque tempore, aut loco observari desitum est, aut mutari cœptum norunt, de iis ne quidem dubitare possunt*. Quæ deinde ille pluribus confirmat; & nos etiam post paullo confirmabimus. Nec mihi deest auctoritas viri omnium doctissimi, Petavii; nec gravissima testimonia Bellarmini, Jacobique Davii Perronii, amborum Cardinalium, quorum loca fideliter excerpsi. Ac Petavius quidem ad Epiphanium in expositione Fid. pag. CCCXXXXIX. & CCCLX. aperte *Pseudo-diataxin* Clementis vocat. & in Dogm. Theolog. tom. II. lib. I. de Trinit. cap. III. §. VII. pag. XV. *Poterat*, inquit, *ante omnes alios*, nempe Athenagoram, Tatia-

tia-

tianum, Theophilum, Irenæum, *vetustatis unius nomine, commemorari Clemens Romanus; siquidem germana essent, quæ illius inscripta nomine circumferuntur, sed non sunt. Hic igitur in Constitutionibus Apostolicis ridiculum nescio quid, & hæreticum posuit*. Perronii sententia lib. II. cap. I. de Eucharist. p. CLXXIV. legitur; cujus hæc sunt verba de Constitutionibus: *Hoc opus*, inquit, *a multis gravibus auctoribus veteris ac recentioris memoriæ in dubium vocatur. Epiphanius hæres. Audian. libri meminit id nomen præferentis; aitque multos suo tempore in dubium revocare. Se vero eum nequaquam rejicere. Synodus Constantinopoli in Trullo, multis post Epiphanium temporibus sub Justiniano Rhinotmeto habita, opus condemnat. Photius in Bibl. cod. CXIII. ipsa illa Synodo recentior, vix Arianismo purgari posse ait. Quod suspicari cogit, librum hunc vel non eumdem esse cum eo, qui Epiphanii tempore censebatur; vel certe ab Arianis postea corruptum, adulteratumque fuisse. Sane multa apud veteres inde descripta reperiuntur, quæ cum iis quæ nunc circumferuntur, exemplaribus non congruunt. Cardinalis Bessario Marco Ephesio Sixt. Senen. in Biblioth. Sancta quemdam ex his Constitutionibus locum objectanti, respondet, Opus esse apocryphum.* Idem etiam lib. I. Replic. cap. XXIV. scribit: *Quæ Clementis nomine Apostolicæ Constitutiones circumferuntur, non sunt ejus fidei ut in rebus ad religionem pertinentibus, auctoritatem habeant decisivam; sive enim ab initio Clementis nomine suppositus, sive ab hæreticis postea interpolatus, atque adulteratus fuerit*

hic liber, constat suspectam esse ejus auctoritatem. Ea autem quæ affert Bellarminus, ita perspicue ostendunt fictas, suppositasque istiusmodi Constitutiones esse, ut nullus dubitationi locus relinqui videatur. Afferam ego verba ejusdem Bellarmini, quæ si prolixius a me recitari aliquis opinetur, rei magnitudini id tribuendum putet. Is igitur in lib. de Script. Eccles. in Clemente, cum hujus Recognitiones inter apocrypha retulisset, de Constitutionibus hæc subjicit. *De libris*, inquit, *Constitutionum Apostolicarum, quæ Clementi auctori tribuuntur, idem fere judicium fieri debet, ac de libris Recognitionum.* Deinde addit: *Multa in illis utilia sunt, & a Græcis veteribus magni fiunt; sed in Ecclesia Latina nullum fere nomen habere, ipsosque etiam posteriores Græcos in Concilio Trullano Can. II. improbare has Constitutiones, ut ab hæreticis depravatas. Audio, Aethiopes his Constitutionibus uti, ut vere Apostolicis, & ea de caussa in erroribus versari circa cultum Sabbathi, & diei Dominicæ, & circa ministrum sacramenti Baptismi, & in aliis quibusdam dogmatibus. Nam lib. VII. cap. XXIV. jubent servari diem & Sabbathi, & Dominicæ; & lib. V. Constit. cap. X. prohibetur absolute, ne Laici baptizent; & lib. VI. Cap. XV. jubent rebaptizari eos, qui baptizantur ab hæreticis, ea de caussa, quia hæretici non sunt Sacerdotes. Ac ne forte objiceretur, quod Philippus Diaconus baptizabat, ut dicitur Act. VIII. in iisdem Constitutionibus lib. VI. cap. VII. dicitur, Philippum, qui baptizavit Simonem Magum, fuisse Apostolum*

ſtolum; quod manifeſte falſum eſt. Habentur in iiſdem Conſtitutionibus alia non pauca, quæ abhorrere videntur a veritate; ut quod lib. III. cap. II. quartas nuptias appellent manifeſtam fornicationem; lib. V. cap. VI. diſtinguant Mariam Magdalenam a Maria ſorore Lazari; lib. VIII. cap. XIV. Jacobum fratrem Domini, velint eſſe Apoſtolum ex duodecim; & lib. eodem cap. XXVI. XXVII. & XXVIII. velint imponi manum Subdiacono, & Lectori, & ipſi etiam Diaconiſſæ, dum ordinantur; & lib. eodem, cap. XXXII. dicant, Exorciſtas non ordinari; & cap. XXXVIII. dicant, ancillam ſoli domino obſequentem recipi; ſi cum aliis intemperans fuerit, rejici. Hi igitur, quos hactenus commemoravi, ſi libros Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſub nomine Clementis, pro dubiis, incertis, apocryphis, falſis, corruptis, adulteratis, nec ullius fidei, vel auctoritatis in rebus ad religionem pertinentibus eſſe affirment, bono etiam jure, e Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum numero ipſi deturbabimus, neque ex iis Juris Canonici originem repetemus. Neque hoc loco omittam Humberti Cardinalis teſtimonium, Sylvæ Candidæ Epiſcopi, qui in Diſputatione de jejunio Sabbathi contra Nicetam anno M L. apud Gratianum diſt. XVI. Can. III. hæc habet: *Et hoc aſſerere conaris ex apocryphis libris, & Canonibus pari ſententia Sanctorum Patrum repudiatis. Nam Clementis librum, ideſt Petri Apoſtoli Itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis L. Capitulis,*

quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda. Unde nos quoque omne apocryphon abjicientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quæ non sunt ut lex Domini. Ex quibus verbis id arbitror animadvertendum, Humbertum libros Constitutionum, & Itinerarium, quod vocant, Petri, pro iisdem habere, contra ac fecit Bellarminus; & a Gelasio inter apocrypha relatum putare. Id si verum est, apparet seculi V. anno XCIV. ab Ecclesia Romana inter apocrypha relatas hasce Constitutiones Humbertum existimasse. Hanc enim ejus sententiam verba illa, quæ supra recitavi, jam videntur indicare: *Pari sententia Sanctorum Patrum repudiatis*. Porro ante Gelasii tempora satis constat, nullam mentionem apud veteres harum Constitutionum Apostolicarum inveniri, sub nomine Clementis editarum; non apud Hieronymum in Catalogo; ex quo colligitur, illi notas non fuisse; non denique apud alium quempiam Latinorum; quod tamen fieri omnino debuisset, si Clemens edidisset. Video quidem, Epiphanium, qui floruit seculi IV. anno LXXV. illarum meminisse, librorum suorum multis locis; sed hunc eumdem etiam video hæresi LXX. §. X. dubiæ fuisse fidei apud multos affirmare. Quinimo Petavius ac Dallæus, quod multa in Constitutionibus ab Epiphanio commemoratis, his contraria, quas Bovius ac Turrianus meminerunt, inveniantur, contendunt non easdem esse Epiphanii & Bovii Constitutiones. Quod
perti-

pertinet ad Cyrilli Hierosolymitani locum; qui in Catechesi XVIII. pag. CCXIII. fabulam Phœnicis ex libro Clementis V. Constitutionum Apostolicarum affert; quem locum late Bovius enarravit; facilis est responsio, si dicamus, eam fabulam in vera, germanaque Epistola priore Clementis ad Corinthios inveniri, unde illam sumsit auctor Catecheseos. Quamobrem Rigaltius in obs. ad lib. Tertull. de Resurrectione inde colligit, alium Epistolæ a Constitutionum auctore omnino esse: *Etsi*, inquit, *ejusdem Phœnicis historiæ exemplum reperiatur etiam in Constitutionibus supra citatis, tamen ex earum cum Epistola Clementis comparatione hoc videmur assequi, vix esse, ut ejusdem auctoris utrumque opus censeri debeat*. Testimonium alterum, quod ex Athanasio, & Eusebio affertur de libro excerptum, qui διδαχὴ τῶν ἀποστόλων olim appellatus, apud aliquos in usu fuit, communiter tamen pro spurio habitus est, nihil quicquam facit ad Constitutiones. Facile enim est, ex Athanasio ipso intelligere, hasce διδαχὰς ἀποστόλων esse alias ab Operibus Clementis. Nec Eusebius lib. III. cap. XXV. has tribuit Clementi. Nam in aliis locis, quibus locis de spuriis Clementis, & scriptis genuinis agit, hasce διδαχὰς ἀποστόλων non tribuit Clementi. Quattuor igitur primis seculis verum est, apud Græcorum neminem mentionem ullam Constitutionum Apostolicarum factam inveniri. Mitto alia testimonia & auctoritates hominum gravissimorum; in his

his Antonii Auguſtini, qui pluribus in hanc ipſam rem acute & ſolide, nempe ut ſolet ſemper, diſputat Dialogo I. lib. I. Venio nunc ad rationes; in quibus afferendis (ſunt enim plurimæ) modum adhibebo; ne & vobis moleſtus ſim; & ut cetera citius expediam bene multa, quæ ſuperſunt. Primum igitur hoc quæro, ſi iſtiuſmodi Conſtitutiones Apoſtolorum ſunt, cur neque Græci, neque Latini, cum aliis una Apoſtolorum ſcriptis, inter Canonicas non receperint Scripturas? quod fieri omnino oportuiſſet, ſi revera eſſent Apoſtolicæ. Aliquid enim Apoſtolorum eſſe, & non relatum eſſe in Canonem Scripturæ, Theologi hoc ajunt, in numero contradicentium oportere collocari. Hoc eodem argumento uſum eſſe video Bellarminum de Scriptor. Eccleſ. in Petro, in rejicienda Chriſti quæ ſcripta eſſe dicitur ad Abgarum Epiſtola. *Ea*, inquit, *numquam fuit admiſſa ab Eccleſia inter Scripturas Canonicas; inter quas ſine dubio admiſſa fuiſſet, ſi ab ipſo Domino ſcriptam fuiſſe conſtaret*. Deinde in libris hiſce mentio facta eſt controverſiæ Paſchalis; quæ tamen controverſia orta in Eccleſia eſt ſeculo ſecundo, ut ſuperiore Enarratione demonſtravimus; ob quam cauſſam Concilium coactum eſt. Itaque conſequitur, poſt ſeculum ſaltem ſecundum, auctorem Conſtitutionum exſtitiſſe; neque omnino eſſe Apoſtolorum. Porro cujus amentiæ eſſe dicam, quod lib. VII. cap. XXXXVII. legitur? *De Epiſcopis*, inquiunt,

qui

qui a nobis, dum viximus, ordinati sunt, certiores vos facimus. Etiamsi diem supremum suum Apostoli obiissent, fari tamen, ac loqui poterant; Canonesque condere, & Constitutiones. Hæc omnia ostendunt & inscitiam auctoris, & hunc ipsum, post obitum Apostolorum, jam vixisse. Præterea qui unquam fieri potuit, ut Apostoli, si Constitutiones hasce condidissent, in his negarent, Christum Dei filium, Deum esse, quem tota vita, sanguine etiam talem prædicassent? Atqui lib. VI. cap. VI. hæc leguntur: *Alii ex iis* (nempe hæreticis) *suspicantur, ipsum Jesum esse Deum super omnia*. Quæ non Apostolorum voces sunt, sed eorum, qui vel Ariani, vel Photiniani, vel Ebionæi essent. Quibus rebus Petavius adductus tom. II. Theol. Dogm. pag. XV. pronuntiavit, *Clementem ridiculum nescio quid & hæreticum de Trinitate posuisse, lib. II. cap. XXVI. Nam Episcopum in Ecclesia instar Dei Patris esse ait; Diaconum itidem ut Christum, qui Patri adsistit, & in omnibus ministrat; quæ, si Christus ut homo est, considerentur, non improbe dicta videri possunt. sed pestilens est quod addit, Diaconissam, figuram Spiritus Sancti habere; quæ nihil sine Diacono facere debeat, aut loqui; quemadmodum neque Paracletus a seipso aliquid loquitur, aut facit, sed Christum glorificans, voluntatem illius expectat. Quod quidem Macedonianum pus, ac venenum sapit. Photius de Clementis Operibus agens cod. CXIII. in Constitutionibus asserit, quædam inesse Christianæ impietatis vestigia, quæ nonnisi violen-*

violenter excusari possint ; cujusmodi iste locus fuerit ; quem adduximus, neque alius modo ad similem labem implicatus occurrit. Illa ridicula, ac vana omnino, quæ præcipiuntur in celebratione Eucharistiæ lib. VIII. cap. XII. *Duo Diaconi ex utraque parte altaris teneant flabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, ut parva animalia volitantia abigant, ne in pocula incidant*. Quid deinde hæc, quæ lib. II. cap. LVII. inveniuntur? quo loco de libris suis legendis sic præcipiunt Apostoli: *Deinde*, inquiunt, *Acta nostra legantur; item Epistolæ Paulli cooperarii nostri; & postea Diaconus, aut Presbyter legat, quæ ego Matthæus & Johannes tradidimus vobis, & quæ Paulli cooperarii nostri. Marcus & Lucas acceperunt, & reliquerunt vobis*. Numnam hæc vobis videntur esse Apostolorum, an potius hominum otiosorum turpissime mentientium? Johannis Evangelium tum demum scriptum est, postquam is Pathmo revocatus est, nempe a Christo nato anno LXXXXVII. quo tempore plerique omnes Apostolorum diem obierant. sed alia quædam afferamus. Lib. VI. cap. VI. Ebionæorum commemoratio fit; qui tamen ex Epiphanio & Baronio, eversis Hierosolymis, tum demum exstiterunt; quo tempore omnino constat, Petrum, Jacobum, Paullum, & alios ex Apostolis vita functos; qui tamen in libris hisce, tamquam Constitutionum conditores inducuntur. Versus Sibyllini de Resurrectione lib. V. cap. VI. recitan-

tantur, cum Opera Sibyllina sub Antonino Pio, & Marco Aurelio, hoc est, XXX. aut XL. annis post omnium Apostolorum obitum, conficta demum sint. Postremo lib. VI. cap. XXIV. traditur, *Romanos in Deum credidisse, & a Deorum multitudine atque injustitia discessisse*; quod tantum contigit seculo IV. Constantino imperante. Arbitror ex his satis constare, non esse has Constitutiones Apostolorum, nec collectas a Clemente; ac de hoc quidem, quod eas non a Clemente, sed ab ipsis Apostolis patroni Constitutionum scriptas dicunt; Clementis vero, tamquam ministri, ejusque qui ad Episcopos, & Ecclesias detulerit, meminerunt; quemadmodum traditur lib. VI. cap. XIV. & lib. VIII. cap. IV. Deinde quod nec Epiphanius, nec Athanasius, aut Eusebius unquam Clementi tribuunt; postremo quod ne ipsi quidem Clementi in ejus Epistola priore ad Corinthios vera, germanaque cognitæ Constitutiones illæ fuerint; non postea Irenæo, Athenagoræ, Justino, Clementi Alexandrino, Tertulliano, Origeni, Cypriano, Dionysio, aliisque, quos longum esset commemorare. Sed jam de Canonibus, qui dicuntur Apostolorum, videamus. Eos Franciscus Turrianus, doctus vir, ac pius, adversus Magdeburgenses Centuriatores, singulari edito opere, defendit; Lambertusque hunc secutus; alii. Sed, quod Græco est in proverbio, posteriores cogitationes esse meliores; sic posterior ætas certiora de

 his

his Canonibus, illorumque numero constituit; ut feliciores nos omnino simus, temporibus his nati, quam multi ex majoribus nostris. Igitur in re satis disputata paucis me expediam. Ac primum convenit inter eruditos, hos Canones nec Apostolis, nec Clementi, ut illorum amanuensi, posse adscribi. Si enim Apostolos auctores habent, cur Canonicis Sanctarum Scripturarum libris non censentur? Cur ætatis illius Patres prorsus ignorarunt? vel si noti illis cognitique jam fuere; eosque crediderunt ab Apostolis constitutos; quare usi non sunt illorum auctoritate in difficultatibus gravissimis; easque ipsorum vi ac pondere non compressere? Deinde siquis sit, qui Canones hos perlustret, ita clara omnia & explicata inveniet, ut de illorum sensu atque potestate nulla dubitatio oboriatur; cum tamen tertio, & quarto seculo maxima contentione disputata sint. Postremo, ut plurima alia omittam, ea nunc in his Canonibus leguntur, quæ plane temporibus Apostolorum fuere ignota; neque cum ætatis illius moribus ac disciplina convenire possunt. At Damascenus Divinis Libris censuit. Verum: sed Baronius nimis inconsulte fecisse ait. At Synodus Trullana, Apostolorum esse pronuntiavit, Justinianus, Scholasticus, alii. Certe: sed Synodus Romana Episcoporum LXX. sub Gelasio I. Pontifice, Romæ habita, retulit inter apocrypha; quod tradit Gratianus Can. III. dist. XV. cujus auctoritas

anti-

antiquiſſima, & Synodi, & Pontificis ſapientiſſimi ceterorum omnium auctoritatem ſuperat, deteritque. Vim, roburque addit Iſidorus Hiſpalenſis, qui ſeculi VII. anno XXXIX. extremum diem clauſit; cujus Gratianus meminit in Can. Canones, diſt. XVI. *Canones*, inquit, *qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recepit, nec Sancti Patres illis aſſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur; quamvis in eis utilia inveniantur: tamen ab auctoritate Canonica, atque Apoſtolica eorum geſta placet eſſe remota, atque inter apocrypha deputata*. Sed hæc fortaſſe temporibus hiſce eruditis nimia ſunt, quibus admotæ faces ab hominibus doctiſſimis tenebras difflarunt plurium ſeculorum. Sequitur de numero. Ut paucis rem abſolvam, hoc video, Eccleſiam Orientalem Canones LXXXV. dumtaxat numeraſſe, ac religioſiſſime coluiſſe. Id facile intelligitur e Scholaſtici collectione, & Synodo Trullana. Et omnino quicunque ex Græcis Jus Canonicum tractarunt, nec plures, nec pauciores cenſuerunt. Quod pertinet ad Latinos, conſtat, ſententiam Humberti Cardinalis, Sylvæ Candidæ Epiſcopi, Leonis IX. Legati, cujus ſupra meminimus, ab doctiſſimis quibuſque accipi ac probari; quæ etiam a Gratiano commemoratur. *Clementis*, inquit, *librum, ideſt, Petri Apoſtoli Itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis capitulis L. quæ decreverunt orthodoxæ fidei*

tractatores adjungenda. Hanc etiam Ivo refert, sed pro, *Orthodoxæ fidei tractatores*, habet, *Orthodoxis regulis*; aptius. Sic in corpore Canonum ex Dionysii Exigui interpretatione, & in Isidori Mercatoris collectione L. hi Canones dumtaxat inveniuntur. Idque Gratianus ac veteres collectores referunt; item Romanus in libro Pœnitentium, & Ansegisus lib. I. Capitularium Caroli. Ceterum de antiquitate Canonum istorum, cum tam multa ab aliis dicta sint, nil ego dicam. Verba Albaspinæi tamen afferam, hominis gravissimi prudentissimique, quæ pluribus non satisfecerunt. Ea autem leguntur lib. I. Observ. XIII. *Sunt tamen*, inquit, *illi Canones, Constitutionesque antiquissimæ; multaque in illis excellentissima, & magni ponderis continentur. Nec dubito, quin olim Græcæ Ecclesiæ pro legibus, Manuali, Pontificali, Rituali, ut vocant, ac codice fuerint. Satis enim constat, nil quicquam in iis reperiri, quod Ecclesiasticæ quattuor primorum seculorum disciplinæ consentaneum non sit. Quod attinet ad Canones, existimo eos ita appellatos esse ab antiquitate; nam cum eorum aliquot ab Apostolorum successoribus, qui teste Tertulliano de præscription. Apostolici viri nominabantur, facti essent; Apostolicorum primum Canones; deinde nonnullorum Latinorum ignorantia, aliquot litterarum detractione, Apostolorum dicti sunt*. Pernegant initio, Canones hosce, & Constitutiones a Græcis habitas pro legum codice, ac rerum Manuali; idque inde intelligi, quod his doctrinæ capita contineantur,

tur, quæ prorſus ſint contraria doctrinæ illorum & inſtitutis. Aperte hoc demonſtrari vel Canone illo Sacræ Scripturæ, qui in ultimo Canone commemoratur. Deinde hoc poſtulant, ſi ante Synodum Nicænam exſtitit is legum codex, cur Patres Ancyrani, Neocæſarienſes, Nicæni, vel Antiocheni aut codici Canonum Eccleſiæ univerſæ non attexuerunt, aut ſaltem mentionem aliquam hujuſce illuſtris antiquitatis monumenti non fecere? Poſtremo ſi codex ille legum a viris Apoſtolicis editus fuit, & ab Epiſcopis ſancitus ante Concilium Nicænum, cur a Gelaſio, & ab Epiſcopis LXX. inter apocrypha fuit relatus? Quod pertinet ad partem hanc, eos Canones non uno tempore conditos fuiſſe a viris Apoſtolicis, ſed alios primo ſeculo, ſecundo autem alios, ac deinceps; ſomnium appellant. Canonum eorumdem implorant fidem, ex quorum lectione facile cognoſcatur, non plures ſibi ſuccedentes auctores eos Canones habuiſſe, ſed unum, eumdemque; ſcilicet Apoſtolorum nomen, ut voluit, qui conſarcinavit. Canon eſt XXVIII. contra Simoniacum; is habet Petrum auctorem. Verba hæc ſunt: *Dejiciatur & ipſe & ordinator ejus, & a communione modis omnibus exſcindatur, ut Simon Magus a me Petro*. Eſt item alius, nempe XXXXIX. his verbis: *Non enim dixit nobis* (nempe Apoſtolis) *Dominus, In morte mea baptizate, ſed Euntes docete omnes Gentes, baptizantes* &c. Poſtremo, ut alii omittantur, eſt Canon LXXXI.

in

in quo de servo sermo est, cujus hæc sunt verba: *Qualis noster quoque Onesimus visus est*. Ex quibus intelligitur, id consilium fuisse ejus, qui conscripsit, ut venditaret nomine Apostolorum, non Apostolicorum virorum, quemadmodum Albaspinæus existimavit. Hæc pluribus persecuti sunt Dallæus, Usserius, Rivetus, Melchior Canus, ut mihi nil necesse sit in hac re diutius immorari. Ut Juris igitur Pontificii historiam persequamur, reliquæ collectiones sunt expediendæ, quæ & variæ, & multæ sunt. sed, ut facilius eæ intelligantur, de multiplici, utilique ratione colligendi, pauca quædam prius dicam. Quinque autem modis Jus potissimum posse colligi, & revera adhuc collectum esse ab optimis quibusque, omnino video. Primum genus est, cum unius, aut plurium Conciliorum Canones colliguntur & enumerantur, eo ordine, quo in Conciliis editi sunt, temporis retenta ratione, ac serie numerorum. eaque collectio vel Corpus, vel Codex Canonum appellatur; de qua supra demonstratum est. Græci βίβλον κανόνων, vel ἀκολουθίαν κανόνων, hoc est, seriem, codicem, consequentiam, solent nominare. Secundus modus colligendi is est, cum una cum Canonibus acta colliguntur atque recitantur. Ejus Socrates lib. I. Hist. Eccles. cap. V. meminit. Tertius porro, cum Canones plurium Conciliorum, quæ ad unam eamdemque rem pertinent, sub uno eodemque titulo, & inscriptione collocan-

cantur. Idque duplici ratione fieri consuevit. aliquando enim multorum Conciliorum Canones, qui ejusdem potestatis sint, & in eodem versentur argumento, titulo uno comprehenduntur, iique citantur tantum, verba non recitantur; & istiusmodi collectio Breviarium nuncupatur, quale Cresconii est; de quo suo loco. Aliquando & citantur Canones, & verba recitantur Canonum illorum, quibuscum convenit, & id appellant Canonum Concordiam; cujus rei exempla deinceps proferentur. Quarto autem modo hoc fit, ut & citentur Canones, & verba recitentur, deinde etiam Leges Imperatoriæ adjiciantur, quæ consentiunt cum Canonibus; & hanc collectionem appellant Nomocanonem; qua in re Photius & Scholasticus excelluerunt. Quintus tandem modus hic est, cum, veluti acervo quodam, & Canones, & Leges, & Epistolæ Pontificum Decretales, Patrum denique sententiæ certis quibusdam titulis concluduntur; cujus rei exempla ac testimonia abunde suppetunt. His itaque expositis de modis colligendi, ad hos qui collegerunt, nunc deveniamus. Collectionem itaque Nicænam, ac Dionysianam Fulgentii Ferrandi collectio excepit; qui Justini ætate, ac Justiniani floruit, & in Ecclesia Carthaginiensi Diaconus fuit, ut ex Chronicis apparet Victoris Tunnunensis. Cum Fulgentio Episcopo Ruspensi vixisse diu fertur, eumque præceptorem habuisse. Ejus plures eximii viri me-

meminerunt. In his Facundus Episcopus Hermianensis, & Cresconius in præfatione Breviarii, quo loco, Reverendissimum Carthaginis Ecclesiæ Diaconum, Fulgentium appellat, ac deinde, virum sapientissimum. Plura hujus scripta veteres commemorarunt; Paræneticum ad Reginum; Epistolam ad Anatolium, duas ad Ruspensem, unam item ad Eugypium Abbatem, alia. sed ex omnibus maxime celebratur Canonum collectio, de qua nunc sermo nobis est. Hanc collectionem, cum Cresconii Breviario, primus Pithoeus edidit. Edita deinde cum Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ. Porro Fulgentius hoc opere Canonum consequentiam, quam appellant, non persequitur, quemadmodum Dionysius, sed, habita ratione rerum, Canonicam disciplinam capitibus CCXXXII. conclusit, ac singulis capitibus Canones subjecit, ac Decreta nihil diffidentia. Excipit Ferrandum Johannes Antiochenus, Presbyter; Scholasticus nuncupatus, ob eam rem scilicet, quod in Foro, litium patronus, caussas oraret. Id intelligitur ex Agathia, quem Suidas Scholasticum vocat; quique de se lib. I. Historiarum hæc habet verba, sic latine versa: *Agathias mihi nomen est; Myrrina patria; Memnonius pater. Ars, quam profiteor, Jura Romana, & Judiciorum certamina.* Fuit is Presbyter initio, & Apocrisiarius ex eorum numero, qui in Novella VI. cap. II. commemorantur; deinde Justiniani Imperatoris favore

crea-

creatus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Hujus Opera duo circumferuntur, Canonum Collectio, & Nomocanon; quorum alterum cum Presbyter, alterum cum Patriarcha eſſet, edidit. In Collectione, Conciliorum omnium Canones, qui codice Eccleſiæ univerſæ continerentur, collocavit, & in L. titulos digeſſit; eoſque, qui ad idem argumentum pertinerent, capitibus iiſdem complexus eſt. Iſque Græcorum omnium princeps Canones Apoſtolicos LXXXV. Collectioni ſuæ inſeruit. Hanc indicare, & Canonum Concordiam appellare creditur Nicolaus I. cum ad Photium, Patriarcham Conſtantinopolitanum hæc ſcripſit: *Quomodo non ſunt penes vos Canones Sardicenſes, quando inter L. titulos, quibus Concordia Canonum apud vos texitur, ipſi quoque reperiuntur?* Ceterum Collectionis hujus compendium quoddam eſt Nomocanon; in quo integri Canones prætermittuntur, ſententia tamen ac numero indicatis; quibus concordes Leges, τὰ συνάδοντα νόμιμα, præcipue autem Novellas Juſtiniani, attexuit Scholaſticus. Atque hæc Opera magni apud Græcos uſus, & auctoritatis initio fuere; ſed poſtquam Photii prodiit Nomocanon & plenior, & uberior, memoria illorum propemodum interiit. Res nunc ipſa poſtulat, ut de Martino Bracharenſi, antequam Enarrationi huic finem imponamus, ordine diſceptemus, ſed paucis. Fuit is autem Pannonius natione, non Græcus, ut Garſias Loayſa exiſtimavit; ac primum Du-

miensis Monasterii Abbas, deinde Episcopus Bracharensis. Domo in Orientem profectus, adeo bonis litteris, ac disciplinis operam navavit, ut brevi doctissimis quibusque vel par esset, vel anteferretur. Porro ex Oriente in Gallæciam cum trajecisset, Suevos ab Ariano errore ad Catholicæ religionis veritatem traduxit. Plurima scripsisse Isidorus Hispalensis, ac Miræus prodiderunt; at libros de Virtutibus, & Epistolarum, laudibus potissimum cumularunt, & Canonum Collectionem, quam ex Græcis Synodis adornavit. Hanc autem Collectionem temporibus fere iisdem prodiisse, quibus Dionysiana in Urbe prodiit, eaque Carthagine, quæ Ferrandi est, non pauci meminerunt; sed hæc ita accipienda sunt, ut utroque illorum posterior Martinus habeatur. Ferrandus enim anno DLI. vita excessit, ut Facundus Hermianensis memoriæ tradidit: Dionysius autem per ipsa initia Imperii Justinianæi, seculique sexti anno fere XXX. versionem suam curavit, aut citius fortasse; at Martinus, si XXX. annos exegit in Hispania, & anno DLXXIII. ut Baronius auctor est, vel DLXXX. ut Dallæus, diem obiit, anno XXXXIII. vel L. venit in Hispaniam. Iisdem autem caussis permotum Bracharensem, quibus Dionysius, collegisse apparet, nempe multis, magnisque incommodis antiquæ versionis; quod is in præfatione pluribus ostendit, quam operi præmisit. Ceterum Collectionis partes

tes duæ ſunt. Altera eos Canones complexus eſt, qui ad perſonas, res, ritusque Eccleſiæ referuntur: altera autem eos, qui ad Laicos, quos vocant, pertinentes res continent; quod ipſe in præfatione item indicat, cujus hæc ſunt verba. *Id primum*, inquit, *obſervans, ut illa, quæ ad Epiſcopos, vel univerſum Clerum pertinent, una in parte conſcripta ſint; ſimiliter & quæ ad Laicos pertinent, ſimul ſunt adunata; ut de quo capitulo ſcire aliquis voluerit, poſſit Clericus invenire*. Duæ memorantur Collectionis hujus editiones, vetus una, quam omnes Conciliorum Collectiones exhibent; nova altera, quam ſe Garſias ait in Conciliorum Hiſpaniæ Collectione ex antiquis MSS. ediſſe. Neque id poſtremo arbitror negligendum, ante Antonii Democharis editionem Decreti Gratiani, Collectionem hanc Martini Bracharenſis citari ita conſueviſſe, quaſi Martini Pontificis Romani, qui multis poſt annis floruit, illa eſſet. De qua re & Contius, & Demochares meminerunt; & late Antonius Auguſtinus Dialogorum lib. I. Dialogo X. XI. & XII. ſed hæc hactenus. Cetera, quæ ad rem pertinent, deinceps expendemus.

D I X I.



DE JURE PONTIFICUM

UNIVERSO ACROASIS III.

SEQUITUR nunc, ut ad Cresconium veniamus, deque Collectione illius paucis disputemus. Episcopus Africanus fuit, ac Leontii Imperatoris floruit temporibus. Res in Africa a Johanne Patricio, duce strenuo, atque eximio, gestas, carminibus descripsit; quamobrem viris ætatis suæ eruditissimis annumerari meruit. Ejus in Jure Canonico Opera duo memorantur; alterum quod Canonum Breviarium appellatur; quo opere, Fulgentii Ferrandi morem secutus, titulis trecentis, Canonibus Conciliorum citatis, & Pontificum Decretis, verbis non recitatis, Ecclesiasticam disciplinam complexus est. Alterum, quod vel Liber Canonum, vel Canonum Concordia nuncupatur, qua parte, titulis iisdem & ordine retento, Canones ac Decreta non modo citantur,

sed

ſed διὰ πλατέων etiam recitantur. Et quoniam magna ſimilitudo eſt inter Creſconii Breviarium, & Fulgentii Ferrandi, fieri conſuevit, ut huic illud adjiciatur in pluribus editionibus; ex quibus illa maxime commendatur, quæ Divione anno a Chriſto nato MDCXLIX. Petri Franciſci Chiffletii ſtudio ac labore adornata eſt. Illud etiam de Collectione hac arbitror animadvertendum, principem Creſconium, Pontificum Romanorum Epiſtolas Decretales inter Canones retuliſſe; quem morem alii deinceps non pauci tenuere. Hanc Collectionem Eccleſiæ Orientalis codex mox excepit; qui in Concilio Sexto Oecumenico Trullano anno DCLXXXI. confirmatus eſſe dicitur. Conflatus autem eſt ex codice Canonum Eccleſiæ univerſæ, iiſque additionibus, quæ Canone ſecundo quini ſextæ Synodi commemorantur. Iſque eſt codex ille, quem Johannes Tilius ex Bibliotheca Canonicorum Divi Hilarii Pictavienſis Græce edidit; deinde etiam Elias Ehingerus, ad quem Zonaras & Balſamo interpretationes ſuas attexuerunt. Id factum eſt in hoc Codice, ut in eum primum Patrum ſententiæ conjectæ ſint, quemadmodum in Creſconii libro de Epiſtolis Pontificum contigiſſe diximus; niſi quod antea Canones Baſilii ſuo Nomocanoni Scholaſticus adjecerat. Porro ſub idem fere tempus, quo codex Orientalis confirmatus eſt in Synodo Nicæna ſecunda, Jus Canonicum in Occidente incrementa non exi-

exigua, progressusque cepit. Etenim Hadrianus Pontifex Carolo Magno Imperatori Canonum Collectionem, & Epistolarum misit, quam confecerat Exiguus, de quo dictum est, ut Ecclesiæ Occidentales ex illa regerentur; quo tempore probabile est, hanc Collectionem in Germaniam transiisse. Aliam deinde Hadrianus adornavit, ex Canonibus Græcis, Latinisque, ac Synodis Romanis, & Epistolis compluribus, quam anno a Christo nato DCCLXXXV. Cal. Octobr. tradidit Ingelramno. Hanc Ludovicus Jacob a S. Carolo in Bibliothecæ Pontificiæ lib. I. in Hadriani Vita, Conciliorum volumen appellat, ac maxime commendat. Et quoniam per hæc tempora Leges latæ plures ad Ecclesiam pertinentes, a Carolo Magno Imperatore, iisque, qui post hunc imperium tenuerunt, quas Ansegisus, Abbas Lobiensis, & Benedictus Levita collegerunt, de iis ordine etiam videamus. Victis Longobardis, Imperium Carolus adeptus est, sub seculi noni initium. Armorum, ac Litterarum laude floruit; quodque hanc gloriam superat, rei Ecclesiasticæ curam magnam gessit; quemadmodum de eo scriptores plures prodiderunt; in his Rhegino, Abbas Prumiensis, in Chronico. Maxime celebratur Synodus Francofurtensis, quæ, Carolo adnitente, per Pontificem indicta est, in qua summus Latriæ cultus, sacris Imaginibus exhibendus, qui a Græcis in secunda Nicæna Synodo statutus, decretusque putabatur,

pro-

proſcriptus, damnatuſque eſt a Germanis, & Gallis Epiſcopis. Leges deinde multæ conditæ ab eodem de rebus Eccleſiaſticis, deinde a Ludovico Pio, ejus filio, ac Lothario nepote, quæ Capitula, vel Capitularia appellari ſolent. Ea Anſegiſus libris quattuor collegiſſe dicitur. Sigebertus, Monachus Gemblacenſis, hujus meminit in Chronico ad annum DCCCXXVII. his verbis: *Anſegiſus, Abbas Lobienſis, Edicta Imperatorum Caroli Magni, & Ludovici filii ejus, ad Eccleſiaſticam legem pertinentia, duobus libellis digeſſit. Idem eorum etiam Edicta ad mundanam legem pertinentia in duobus æque libellis digeſſit.* Hos deinde libros tribus aliis Benedictus Levita auxit, in quos & ſuperiorum Imperatorum, quos memoravimus, Edicta contulit, & alia præterea attexuit; de qua re is meminit in præfatione Collectionis ſuæ. Virum doctum, & optimæ religionis ſtudioſiſſimum, & Pontificum Romanorum fuiſſe, multi tradiderunt. Capita non pauca Collectionis hujus commemorantur in pluribus Conciliis, cujuſmodi Troslejanum eſt, Ticinenſe, Colonienſe. De hac item Antonius Auguſtinus verba facit, de Emendatione Gratiani lib. II. Dialogo X. & ſeq. quibus locis de ordine hæc habet: *Ordinem*, inquit, *noli ab eo expoſcere; contenti ſimus ipſo Collectionis opere, &, ut ajunt, quod dat, accipiamus. Omnia fere ſine ulla inſcriptione proponuntur, etiamſi ex aliis libris intelligamus, cujus ſint.* Magnæ auctoritatis Capitularia hæc in Gallia fuiſſe, omnino con-

conſtat: eaque obſcura & corrupta locis pluribus primus Johannes Tilius reſtituere conatus eſt, & mox Petrus Pithœus; cujus rei Miræus, Sirmundus, ac Juſtellus meminerunr. Qui Juſtellus de libro etiam memorat Ludovici Pii, cujus hæc eſt inſcriptio: *De Reformatione abuſuum Cleri Formula, per Ludovicum cognomento Pium, Romanorum Imperii Imperatorem Optimum, Caroli Magni filium.* Capitulis iſtiuſmodi, de quibus adhuc dictum eſt, Capitula deinceps acceſſere, a Carolo Calvo, Rege primum Galliæ, deinde Imperatore, edita; qui patris, avique exemplum ſecutus, Eccleſiæ rationes tueri & amplificare nequaquam dubitavit; eorumque Capitularia in conventu apud Cariſiacum anno DCCCLXXVII. confirmavit. Sed quæ Calvus edidit, recenſuit deinde, digeſſitque vir eruditiſſimus, Jacobus Sirmundus, quibus etiam addidit aliorum Capitularia, qui deinceps imperarunt; Ludovici nimirum II. Carolomanni, Caroli Simplicis, alia; quæ omnia animadverſionibus illuſtravit. Ceterum id arbitror monendum de Capitularibus, ea a capitibus appellata eſſe, qua voce ævo illo Leges Regiæ ſignificabantur; quod Sirmundus docuit in præfatione. *In Anſegiſi*, inquit, *Abbatis, & Benedicti Levitæ Collectionibus, nudæ Regum, ac meræ leges ſunt, quæ Capitula vocabant.* Capitula autem, ſeu Capita ob eam rem appellabantur, quod breviter, & capitulatim rem proponerent. Ac barbara ne vox, an Latina

tina illa sit, nil ego quæram; cum præsertim de hac re Antonius Augustinus multis disputarit. Certe antiquam esse constat, & ante Caroli, Ansegisi, ac Theodulphi tempora in usu positam; id quod Gregorii II. Pontificis Maximi, qui anno DCCXIV. obtinuit Pontificatum, Capitulare indicat; cujus rei Ludovicus Jacob a Sancto Carolo in Bibliothecæ Pontificiæ lib. I. meminit. Nunc ordo ipse fert, ut de Isidori Mercatoris Collectione, quæ turbas tot concivit in Ecclesia, disceptemus. Ea porro prodiit initio noni seculi, hominis otiosi, subdolique opera, cujus Christi Ecclesia non indiguit, utpote cui rerum maximarum copia aliunde suppetat; nec fuco ullo egeat, vel mendacio, quæ veris, quæ sinceris, quæ germanis præsidiis abundet. Sed de Isidoro hoc, quis tandem fuerit, vel potius quis non fuerit videamus. Initio certum est, Hispalensem non fuisse, Divum scilicet, etsi id probare videantur Decreti Gratiani Romani emendatores in admonitione Decreto præfixa. Antonii Augustini vera atque aperta sententia est, neminique eruditorum nunc ignota. *Hæc collectio*, inquit, *Isidoro Hispalensi tribui non potest, in qua permulta sunt post ejus mortem conscripta, ut est VI. Synodus generalis, & Concilia Toletana VI. & VII. & cetera ad XIII. in editis, XVII. in veteribus, & Emeritense & Bracharense II.* Hæc Augustinus, & recte, ut semper solet. Isidorus enim diem suum obiit anno DCXXXVI. quemadmodum Redemptus

Diaconus, aliique prodiderunt; ideoque nec Concilii Toletani XI. quod anno DCLXXV. habitum eſt, nec Concilii VI. quod anno DCLXXXI. meminiſſe potuit. Præterea ſatis conſtat, auctorem hunc poſt annum DCC. vixiſſe, cum ex Epiſtola ad Ethibaldum Regem, Bonifacii, Moguntini Archiepiſcopi, quæ ſcripta eſt poſt annum DCCXLIV. non pauca corraſiſſe appareat. Nonnulli exiſtimarunt, ex Juliani Toletani Chronico, Iſidorum Mercatorem, Epiſcopum Setubenſem, Collectionem Epiſtolarum Decretalium Veterum Pontificum edidiſſe. Sed Chronicon iſtiuſmodi rejiciunt eruditi viri; affictumque Juliano prorſus arbitrantur. Quidam tandem putant, Monachum fuiſſe, qui ſe veteri ſanctorum Epiſcoporum more, Peccatorem appellarit, cum Mercator eſſet; eumque e ſolo Iberico, ut Blondellus ait, hebeti ingenio hominem, rabulam, nebulonem emerſiſſe. Quis revera ille fuerit, nullus ſcit. ſed tamen hæc duo certa ſunt, Collectionem hanc Iſidori Mercatoris, ſeu Peccatoris, nomine nunc appellari, eamque ut vanam, fictam, falſam ab eruditis omnibus hodie repudiari. Rem ita eſſe, paucis oſtendam, hominum graviſſimorum auctoritatibus, & argumentationibus nonnullis commemoratis. Et quod pertinet ad auctoritates, ut Bovii, Salmaſii, Uſſerii, Turrecrematæ Cardinalis, Didaci Covarruvias, Chriſtiani Lupi, & aliorum mittam teſtimonia; quæ recitat Labbæus tomo I. Collectionis Concilio-

cilio-

ciliorum non præteribo. *Mirum eſt*, inquit, *viris doctiſſimis Turriano, Binio, & quibuſdam aliis, in tanta eruditionis Eccleſiaſticæ luce probari potuiſſe Decretales illas Epiſtolas, a quocumque ſeu Mercatore, ſeu Peccatore, fabricatas, & antiquis Romanæ Urbis Pontificibus circiter annum Chriſtianæ Epochæ octingenteſimum ſuppoſitas. Adeo enim perſpicacibus viris deformes videntur hoc ſaltem tempore, ut nulla arte, nulla ceruſſa, aut purpuriſſo fucari poſſint. Eas omnes, ſaltem pleraſque earum, repudiarunt viri eruditiſſimi quique, tractatores Catholici, Baronius, Bellarminus, Perronius, Contius, Antonius Auguſtinus, Lorinus, Sirmundus, Petavius, Ducæus, Marca, Boſquetus. ut alios modo, ſive antiquiores, ſive recentiores, ſilentio obvolvam*. Addit, *ſe probare non poſſe novelli cujuſdam ſtudium, qui mala ave ex zelo quidem, ſed minus prudenti & conſiderato, certe non ſecundum ſcientiam, eaſdem abjectas, ac penitus repudiatas defendere aggreſſus eſt. Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis indiget, aut unquam indiguit Romana Eccleſia*. Eadem fere Papenbrochius, ac viri ſummi duo, iidemque Cardinales, Johannes Bona, & Nicolaus Cuſanus recitarunt. Venio ad rationes; quæ cum plurimæ afferantur, paucis ego contentus ero. Porro ſi veræ illæ, germanæque ſunt Epiſtolæ Decretales, ab Iſidoro commemoratæ, cur antiquis Patribus, ac Romanis Pontificibus ad nonum uſque Eccleſiæ ſeculum fuere ignotæ? Cur Hieronymo, Euſebio? cur Dionyſio Exiguo? qui cum ſummam diligentiam adhibuiſſet in

 per-

perquirendis veterum Pontificum Epiſtolis, ut codicem conflaret, eorum nullas attulit, qui ante Siricium Pontificatum Maximum tenuere? Verba hujus recitabo. *Præteritorum*, inquit, *Apoſtolicæ Sedis Præſulum conſtituta, quæ valui cura & diligentia collegi, & in quemdam redigens ordinem, titulis diſtinxi compoſitis; ita dumtaxat ut ſingulorum Pontificum, quotquot a me præcepta reperta ſunt, ſub una numerorum ſerie terminarem*. Deinde qui fieri unquam potuit, ut ii Pontifices, qui duobus, & tribus ſeculis Codicis Theodoſiani editionem præceſſere, quibus Iſidorus Decretales tribuit, verba Legum Imperatoriarum, & ſcholia illa, quæ exſtant nunc ad illum Codicem ſub nomine Aniani, tanto ante perſpicerent, præciperent, uſurparent in ſuis Epiſtolis? qui item, ut Pontificum recentiorum, Patrum, & Conciliorum ſententias præcerperent, ac verba ipſa, quibus hi uſi ſunt poſterioribus temporibus? Eodem pertinet, quod in his Epiſtolis Sanctarum Scripturarum recitatur. Sumta plura ſunt ex Vulgata verſione; multa etiam ex interpretatione Divi Hieronymi; quæ ſeculis integris poſteriora ſunt iis Pontificibus, quibus Decretales tribuuntur. Conſules citantur in hac Collectione, quorum nulla mentio in Faſtorum libris. ſermo præterea eſt lutulentus, & inconditus, & una eruptione ex bucca eadem maleolente egrediens. Sed loca jam quædam attingamus, quibus id verum eſſe plane intelligatur, quod olim Pa-

pen-

penbrochius de Collectione hac pronuntiavit; commentum illam esse, fictam, pudendam, supposititiam. In Epistola II. Clementis S. Jacobo inscripta, vestium fit mentio, quibus induti Sacerdotes rem divinam faciant, pallæ, vasorum sacrorum; præterea Ostiarii, Archidiaconi, & aliorum ministrorum, quæ temporibus Clementis plane ignota erant. Epistola tertia scripta est *Omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconis, aliisque Clericis, omnibus Principibus, magnis, & parvis, omnibusque fidelibus*, cum nomen *Clerici* Clementis ævo nequaquam notum esset; nec magnos ac parvos Principes sinu suo Ecclesia complecteretur. Primates, Metropolitani, Apocrysiarii in Epistola I. Anacleti commemorantur; quæ tamen omnia a moribus ætatis, qua vixit Anacletus, omnino abhorrent. Prior Evaristo quæ inscribitur Epistola, eorum plurima, quæ ad matrimonium clandestinum pertinent, ejusque Sacramenti cærimonias, continet, quæ a seculo Evaristi sunt prorsus aliena. Ac ne agam pluribus de re nunc satis illustrata aliorum opera, id unum tantum dicam de hisce Epistolis Isidorianis, quod ante me video, viros eruditos protulisse, eas, postquam hominibus diu illuserint, verendæque ac sanctæ visæ sint, viles, abjectasque nunc haberi. Sed quid jam contineat Collectio Isidori, videamus. De qua re sententias aliorum recitando, ne pluribus quam necesse sit, moremur, verba ipsa afferam Isidori, qui-

bus

bus in præfatione, quam præposuit Collectioni, usus est. *In principio*, inquit, *voluminis hujus, qualiter Concilium celebretur apud nos, posuimus, ut qui nostrum ordinem sequi voluerint, sciant, qualiter hoc agere debeant. Denique propter eorum auctoritatem, ceteris Conciliis præposuimus Canones qui dicuntur Apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum sententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter Canonicas posuerunt Constitutiones. Deinde quarumdam Epistolarum Decreta virorum Apostolicorum interseruimus, idest Clementis, Anacleti, Evaristi, & ceterorum Apostolicorum, quas potuimus hactenus reperire Epistolas, usque ad Silvestrum Papam. Postmodum vero Nicænam Synodum constituimus, propter auctoritatem ejusdem magni Concilii, deinceps diversorum Conciliorum Græcorum ac Latinorum, sive quæ ante, seu quæ postmodum facta sunt, sub ordine numerorum ac temporum, capitulis suis distincte sub hujus voluminis adspectu locavimus; subjicientes etiam reliqua Decreta Præsulum Romanorum, usque ad Sanctum Gregorium.* Hanc præfationis partem sub nomine Isidori refert Gratianus Can. IV. dist. XVI. cum paullo ante plane contraria sub nomine etiam Isidori retulisset, his verbis: *Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec Sedes Apostolica recipit, nec Sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur; quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate Canonica atque Apostolica, eorum gesta*

con-

constat esse remota, atque inter apocrypha deputata. Quæ cum animadverteret Antonius Augustinus, Gratianum ipsum carpere non dubitavit, quod non satis Isidori utriusque, ut debuit, distinxerit varietatem, cum contraria dicant. Ex qua re una facile cognoscitur, quam hærere eos misere oporteat, qui ab historia, & ceteris præsidiis imparati, quæ boni necessaria ad Jus Pontificum probe intelligendum omnino esse affirmant, omnia illa probant, delectu nullo habito, quæ in Collectione Gratiani, aliorum etiam, inveniant. Quod ante me etiam non pauci docuerunt, Antonius præsertim Augustinus, & Emendatores ipsi exemplo suo, qui, cum summam diligentiam adhibuissent in illo repurgando, labes tamen omnes abstergere non potuerunt. Hæc cum acuti quidam homines, ac lyncei, ut se volunt appellari, qui superioribus annis fuere; utinam non hac memoria quoque; non satis in libris Juris exponendis attenderint diligenter, nolite quærere, quæ monstra opinionum pepererint. Sed fortasse hæc satius fuit non commemorare, ne cum jam querar, ἐφημερὶς rursus inclyta alicunde erumpat, quæ styli, ingeniique homines commoneat, ac spem beatam faciat; vel carmen aliquod jam occentet, quod flagitium faxit. Sed ad Isidorum redeamus. Præter eas Epistolas, quas adhuc a nobis commemoratum est, confictas ac suppositas ab homine istiusmodi fuisse, eruditi viri hoc animad-

madverterunt, Collectione eadem non pauca contineri falsa, ac vana, quæ Ivonem Carnotensem, Burchardum Vvormatiensem, & Gratianum deceperunt. De his Schelstratius, Labbæus, Lupus, Baronius & Cusanus Cardinales, aliique verba fecerunt, ut nil nunc mihi necesse sit illa ipsa recitare, actumque, ut dici solet, agere. Id monendum est, inter veterum Pontificum, qui etiam ante Siricium floruerunt, Epistolas ab omnibus tamquam apocryphas rejectas, non esse percensendas, quæ apud scriptores ejusdem ætatis memorantur, cujusmodi prior est Epistola Clementis ad Corinthios; Divi Cornelii Litteræ inter opera Cypriani; Julii I. quarum meminit Athanasius; Liberii item apud S. Hilarium in fragmentis; alia. Postremo, ut aliquid etiam de hac re dicam, nihil est, quod tantopere glorientur, qui Novatores appellantur; ac Pontificibus objectent Collectionis hujus fidem; quasi ea, auctoritas illorum unice nitatur; atque hæc ipsa concidat, illa disturbata. Ego hæc duo afferam, quæ nemo sanus inficietur: alterum erit, nullum adhuc, qui tamen judicii ullius fuerit, inventum esse, qui affirmarit, Collectionem hanc opera Pontificum in lucem prodiisse, ut sibi potestatem ampliorem vindicarent. In summa enim rei divinatione, cum alii de Auctore alia excogitarint, hi ad veritatem proxime accessisse plurimis videntur, qui Riculpho, Archiepiscopo Moguntino, & Isidoro illi Hispano, cujus su-

ſupra meminimus, tribuerunt. Nemini unquam ex cordatis viris in opinionem venit, ut in eam fraudem Pontifices devocaret. Larva neſcio quæ de Hiſpania attulit: allatam mox vulgavit princeps Moguntinus tota Gallia. Hincmari ſententia adverſus Laudenſem nota eſt, quæ legitur in Opuſculo in hunc eumdem cap. XXIV. *De libro*, inquit, *collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculphus, Epiſcopus Moguntinus, in hujuſmodi, ſicut & in Capitulis Regiis ſtudioſus, obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit*. Alterum eſt, quod ſæpe alii ante me prudentes viri, nec rabie ulla abrepti, vel nimia benevolentia, tradiderunt, ſummam aliunde, & egregiam rerum poteſtatem Pontificibus conſtare, a Chriſto traditam; quam cum certum ſit illos obtinere, quid opus illis fuit confugere ad hominum commenta? Eorum hæ artes ſunt, qui, cum nihil domi incluſum habeant, quærere undequaque, emendicare, æruſcare opes alienas jam coguntur. Nolim igitur Gerardo, Blondello, Miræo, Dallæo, aliis iſtiuſmodi viris ſummis, quorum eruditionem ac doctrinam facio plurimi, graves Pontificibus, acerbaſque tot ſententias excidiſſe; eoſque Iſidori vitia inſectando, neque his parcendo, modeſtiæ ac verecundiæ laudem amiſiſſe. Satis enim erat nebulonis refellere commenta; quod multi ex noſtris jam fecere, judicio illo, ac ſapientia adhibita, ut qui deinceps conatu ullo ad opus ſint

adgressi, id tantum egerint, ut apertum ostium, quod dicere Sirmundus consuevit, susceperint effringendum. Ac de his satis; ad reliqua pergamus. Sequitur nunc Photius, vir ex omnibus, qui Juri colligendo operam navarunt, prudentiæ, ingeniique summi. Nobili natus est genere, ac Protospatharius fuit dignitate, ut Cedrenus prodidit; divitiis, rerumque omnium scientia facile antecelluit; sub Michaële III. & Ludovico II. Imperatoribus vixit; eumque Zonaras, virum insignem, primarium a secretis, ac celebrem eruditionis nomine, appellat. Patriarcha Constantinopolitanus anno a Christo nato DCCCLVIII. creatus est, eo nempe tempore, quo fraude Bardæ sede sua Ignatius ejectus est. Pontificum Romanorum non admodum studiosus fuit; ab his etiam sæpissime dissensit. Itaque Bellarminus virum eruditionis magnæ vocat, sed majoris nequitiæ. Plurima scripsisse fertur, Epistolas, Bibliothecam, librum de Spiritus Sancti processione, Etymologicum, Quæstiones in Amphilochium, alia, quæ nunc mihi consilium non est, investigare, recte ne, an perperam illi tribuantur. Quod ad rem nostram pertinet, scripsit Nomocanonem, quo codice Græci universi Juris Canonici elementa complexus est. Itaque Conciliorum, Patriarcharum, Episcoporum, ac Patrum Canonibus & sententiis constat; divisusque est in quattuordecim titulos; hi rursus in certa capita. His Imperatoriæ

toriæ Leges, ad res Ecclesiasticas pertinentes, subjiciuntur; & Canones quidem sub titulis dumtaxat citantur, non recitantur; Leges autem & citantur, & breviter recitantur. Opus hoc Photianum æræ Christianæ anno DCCCLXXXIII. prodiisse, idemque animadversionibus Balsamonem illustrasse, apparet. Latinæ duæ exstant ipsius versiones, Gentiani Herveti altera; Henrici autem altera Agylæi. Hæc posterior, quod & locupletior, & vocibus effertur Jurisconsultorum propriis, priori illi antefertur. Id porro arbitror hoc loco animadvertendum, ad hæc tempora Exigui Collectioni, ejusque accessionibus summam auctoritatem tributam esse; quod Leo IV. indicat in Epistola ad Episcopos Britanniæ, quæ legitur apud Gratianum Can. I. dist. XX. Non fuerit alienum eam hic commemorare, præsertim cum nonnulli sint, qui Pontificem optimum redarguant. Ejus igitur verba hæc sunt: *De libellis & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium regulas, idest quæ habentur apud nos simul cum Canonibus. Quibus autem in omnibus Ecclesiasticis utimur judiciis, sunt Canones Apostolorum, Nicanorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Ephesinorum, Constantinopolitanorum, Chalcedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium, & cum illis regula Præsulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Hilarii,*

Symmachi, Hormisdæ, Simplicii, & Gregorii junioris. Isti omnino sunt, & per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi judicantur simul & Clerici. Nam si emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos definiri; tunc si illorum, quorum meministis, dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, vel ceterorum similiter Sanctorum Doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda, vel ad Apostolicam Sedem referendum de talibus. Quam ob caussam luculentius magna voce pronuntiare non timeo: quia, qui illa, quæ diximus, Sanctorum Patrum Statuta, quæ apud nos Canonum nomine prætitulantur (sive sit ille Episcopus, sive Clericus, sive Laicus) non indifferenter recipere convincitur, nec Catholicam, & Apostolicam fidem, nec sancta quattuor Evangelia utiliter, & efficaciter ad effectum suum retinere, vel credere probatur. Coarguunt Leonem, quod Epistolas Pontificum, quæ aliquando neque satis piæ sint, nec saluti, ut ipsi ajunt, necessariæ, cum quattuor Evangeliis compararit. Nolim hæc temere hominibus doctissimis excidisse. De pietate ac salute non est hic locus. Alibi fortasse opportunius. De comparatione id videant, ne fallantur. Neque enim Leo vim eamdem tribuit Canonibus & Epistolis, quam quattuor Evangeliis. Non ita hospes in litteris, ac Sanctarum Scripturarum libris fuit, ut tantidem ac Evangelia, unam aliquam Epistolam fieri oportere existimaret; cum Anastasius, qui de vita, ac moribus illius scri-

psit, & hominem sanctissimum fuisse, & *plenitus*, ut ipse ait, sacras litteras didicisse memoriæ prodiderit. Hoc igitur sapientissimi Pontificis, ut ego arbitror, consilium fuit, ut diceret, in judiciis reddendis, non libellos, & commentarios hominum privatorum attendendos esse, sed Canones Conciliorum, Epistolas Pontificum; sæpe etiam Augustini, Hieronymi, & Patrum ceterorum auctoritates. Quæ si quis spernat, inde apparere, nec fidem Apostolicam, nec Sancta quattuor Evangelia, unde illa expressa sint, probare ac retinere. Apposite ad hanc rem Beatus Cyprianus: *Disciplina*, inquit, *est fundamentum religionis, custos spei, retinaculum fidei, & dux itineris salutaris*. Quæ si vera sunt, nec opus erit, id contendere, Gregorium, Anselmum, Deusdedit Cardinalem, Leonis puduisse, nec novam lectionem comminisci. Sed ad Photii Nomocanonem redeamus. Id opus Græci tanti facere consueverunt, ut omnibus præponere soliti sint Collectionibus. Ac Theodorus Balsamon hoc animadvertit, ante legum repurgationem, ut ipse appellat, editum a Photio Nomocanonem fuisse; aitque, sese jussu Emmanuelis Comneni Imperatoris, & Michaëlis Anchiali, Patriarchæ Constantinopolitani, eum librum commentariis illustrasse; legesque in eo allatas, hoc est Justinianæas, cum Basilicis (ea enim est legum repurgatio) contulisse. Hujus cum plures editiones memorentur; quæ opera ac labore Christopho-

ſtophori Juſtelli, Henricique filii, ac doctiſſimi Voëlli prodiere, omnibus anteferuntur. Atque hæc quidem de Photio, ejuſque Nomocanone. Litteras deinceps, ac diſciplinas omnes occupavit ignoratio ac tæterrima barbaries; nec vox ulla diu exaudita eſt docti hominis. Baſilicis & Photio contenti Orientales: Codice Canonum, ac Regiis Capitularibus Occidentales uſque ad ſeculum XI. fuere; quo tempore ſtudia hominum Juris colligendi rurſus exarſere; de qua re nunc brevi videamus. Princeps ſeſe offert Burchardus Epiſcopus Vvormatienſis. Patria is Haſſus fuit, ac primum monaſterii Lobienſis Monachus, ordinis D. Benedicti; deinde Abbas Gemblacenſis; Epiſcopus poſtremo Vvormatienſis. Olberti opera, Abbatis Gemblacenſis, litteris, ac diſciplinis, ut ætas illa tulit ferrea & obſcura, excultus eſt; Brunichonis hortatu, Præpoſiti Vvormatienſis, Canonum Collectionem adornavit, quod Decretum appellatur. Præceptoris operam in colligendo adjutricem habuiſſe, Sigebertus auctor eſt; ipſeque Burchardus in operis præfatione cauſſas commemorat, cur jam acceſſerit ad ſcribendum, & eam ſcriptionem Brunicho flagitarit. *Et id quidem*, inquit, *vel ea ratione maxime flagitare videbaris, quod Canonum jura, atque Pœnitentium formæ, in noſtra quidem diœceſi adeo confuſa ſunt, atque inter ſe diſcrepantia, ut aut ex toto neglecta, aut omni pæne auctoritate deſtituta, vel modice in Eccleſiaſtica diſciplina inſtitutis apparere poſſint.*

Qua

Qua de caussa sæpe accidit, ut ad pœnitentiæ remedium confugientibus, cum ob Canonum descriptionem confusam, tum ob Presbyterorum nostrorum ignorantiam, non facile subveniatur; quod an ideo potissimum fieret, non imprudenter ex me rogasti ...... Et quia hæc res ita habet, eo me dilectio tua rogavit, ut opellam hanc congestam junioribus nostris legendam proponerem, quo ipsi nimirum in idonea ætate, ea discant, quæ vel serior æqualium nostrorum ætas modo assequi non possit, vel antecessorum negligentia non attigit. Utpote decentissimum fore existimans, ut quis cum omni probitate se discipulum prius exhibeat, quam Doctoris auctoritatem apud vulgum temere præsumat, & in scholis discat, quod suæ fidei commissos doceat. Opus suum Burchardus in XX. libros tribuit, quorum quilibet sua habet capita; singula autem capita unius sunt tantum Canonis; singulis denique Canonibus titulus præponitur; ac librorum summam operis initio paucis recitat. Anonymus est quidam, qui de vita illius & moribus libellum edidit. Is narrat, Vvalterium, Episcopum Spirensem, plurimum industria ac diligentia sua Burchardo profuisse in Decreto colligendo. Atque Antonius Augustinus non mediocriter hunc laudat in opusculo de Collectoribus Canonum cap. XXVII. Ejus hæc sunt verba. *Laudanda*, inquit, *est Burchardi maxima diligentia in colligendis variis sententiis ex Conciliis & Decretis Pontificum Romanorum, & aliis scriptis SS. Virorum; item ex Imperatorum & Regum sanctionibus, aliisque libris.*

libris. Laudo etiam ejus prudentiam in discernendis & separandis rebus, de quibus agitur. quamvis alius fortassis ordo aptior inveniri potuisset, tamen hic ipse ab eo excogitatus non est inutilis. Sed tamen ingenue dicendum, quod res ipsa poscit, plurima in Collectione hac reperiri, quæ Burchardum ostendunt, non admodum ingenio valuisse, & sæpius dormitasse; id quod non gravate admodum concessurum arbitror, qui Decretum ejus leget, atque expendet. Plura enim affert, in quibus ipse egregie deceptus est, & alios decipit, qui fidem ejus, delectu rerum nullo habito, misere sequuntur. Sed ne in omnibus Burchardum reprehendam, multa tribuenda sunt fæci illi temporum, quibus vixit; quibus temporibus homines & luce litterarum pæne omni caruere, & certum atque authenticum id omne arbitrabantur, quod in Canonum Collectionibus, aut aliorum monumentorum inveniebant. Quod optime animadvertit Antonius Augustinus; qui cum Burchardum, & illius diligentiam, ut supra demonstratum est, in rebus discernendis, atque separandis commendasset, deinde addit: *In librorum delectu, & in inscriptione singulorum capitum minus certa, notari potest. Est enim Burchardus, ut ceteri, qui postea scripserunt, reprehendendus, quod non ex fontibus ipsis hausit singula, sed ex rivulis, & stagnis aliorum.* scilicet Isidori Mercatoris Collectioni, Rheginonis, aliisque monumentis fidem omnem habuit, quam minime oportuit. Itaque in


in codicem suum falsas Decretales veterum Pontificum conjecit; & ex Rheginone, quod Stephanus Baluzius observavit, ad capita DCLXX. eo transtulit, quo facto errata Rheginonis sua etiam fecit; auxit deinde, cum pluribus in locis sententiam Rheginonis non adeptus est. Qua de re, quoniam alii tradiderunt, nulla ego exempla nunc apponam. Sed an Burchardus ulla ediderit alia opera, neque scio, neque, ut sciam, multum anxius ero. De obitu illius id Miræus prodidit, anno MXXV. decessisse; Baronius autem, MXXVI. Pauca postremo, Auditores optimi, de Hidelbrandi Collectione jam adjiciam, hoc est Gregorii VII. Pontificis Romani; qui eo animo, eaque sapientia fuit, ut Ecclesiæ libertatem e manibus Imperatorum, duraque servitute potuerit liberare, qua antea premebatur; atque ad id culmen ac fastigium evehere, quod deinceps tenuit. Tuscus natione is fuit, & Monachus Cluniacensis; litterarum, artiumque multiplicium cognitione, pro temporibus illis, cum primis floruit. Pontificatum Maximum anno MLXXIII. obtinuit. Quo facto Romanæ Ecclesiæ jura forti animo defendit; Imperatori restitit; eumque, multa molientem, diris devovit, Imperioque privavit. De virtute hujus Onuphrius multa. hæc pauca nunc non prætermittam. *Huic uni*, inquit, *cum omnes Latinæ Ecclesiæ, tum præcipue Romana acceptum referre debet, quod libera sit, & ab Imperatorum manu eruta; quod tot*

divitiis, opibus, & prophana ditione locupletata; quod Regibus, Imperatoribus, Christianis Principibus sit præfecta; a quo postremo, ut omnia verbo uno complectar, maximus iste, eximiusque status, in quo Ecclesia Romana est omnium Christianorum domina; cum antea tamquam vilis ancilla non ab Imperatoribus modo, sed a quovis Principe, Romani Imperatoris præsidiis fulto, premeretur. Ab hoc maximæ illius, & omni seculo tremendæ, venerandæque Romani Pontificis, & infinitæ pæne potestatis jus manavit. Quod pertinet ad Collectionem, a Baronio, ac Panvinio Dictatus memorantur, quos ediderit Romæ, cum in Basilica Lateranensi, quæ etiam Constantiniana appellatur, Synodum haberet. Hos Baronius idem in Annalibus ad annum MLXXVI. num. XXXI. & qui sequuntur, veluti privilegia quædam Sedis Apostolicæ commemorat; aitque Onuphrius in Vita hujus Pontificis, Ecclesiam istiusmodi Dictatibus obtinuisse, ut statu firmiori esset. Sed tamen viros video eruditissimos, vehementer dubitare, veri ne germanique Dictatus illi sint, an suppositi. Johannes Launojus in Epistola ad Antonium Faurum, Theologum Parisiensem, pluribus contendit, nequaquam a Gregorio esse editos; non quod in eis multa non sint, quæ indoli, ingenioque illius non sint accommodata, sed quod insint plurima, quæ ab eo vehementer dissentiant. Hæc eadem Historiæ Ecclesiasticæ tomo VI. sentit Natalis ab Alexandro, Disput. de Gregorii Dictat.

quo-

quorum ſententia eo argumento vel maxime confirmatur, quod Gregorius ipſe Dictatuum illorum nuſquam meminit; non Benno, homo ille maledicentiſſimus; non denique eorum ullus unus, qui temporibus Gregorii floruerunt, vel etiam paullo poſt. Qui plura de hac re cupit, Launojum, & Natalem perlegat. Nos nil pronuntiare auſi, rem tantam in medio relinquimus. Hæc de Collectione Gregoriana; deinceps ad cetera pergemus.

D I X I.





DE JURE PONTIFICUM

UNIVERSO ACROASIS IV.



NNO a Christo nato MLXXIII. vel, ut putat Doviacius, anno MLXXI. Anselmus Mantuanus, qui Gregorio VII. familiarissime est usus, Alexandri II. jussu Lucensi Ecclesiæ præfectus est; quam deinde abdicavit, ac sese in Cluniacense Monasterium abdidit. Id factum Gregorio vehementer displicuit, quod hominem strenuum, moribusque ac litteris facile præstantem, in primis autem Pontificum Romanorum studiosum norat. Precibus itaque & imperio hunc coëgit, ut rediret ad Ecclesiam. Scripta plurima reliquisse dicitur, quæ Baronius ad annum MLXVIII. ex Anonymo quodam, qui libellum scripserat de vita ac moribus illius, commemorat. In his Canonum Collectio percensetur, cujus titulus in codice Romano sic concipitur: *Authentica & compen-*

diosa

diosa Collectio regularum & sententiarum SS. Patrum, & auctorabilium Conciliorum. Sunt tamen viri eruditissimi, quorum est Antonius Augustinus, qui dubitent, an revera Collectionis hujus Anselmus auctor fuerit; cum caussæ plures, ab his commemoratæ, adimere videantur; & sint non pauci, qui tribuant Hildeberto, Archiepiscopo Turonensi. sed de hac re alibi diligentius. Hunc deinde excepit Ivo Gallus, qui in numerum cooptatus Canonicorum, quos appellant, Regularium ordinis Divi Augustini, præfuit deinde Monasterio Bellovacensi Sancti Quintini. Inde Urbani II. Pontificis Maximi beneficio, Carnutensis Episcopus creatus. vir vitæ disciplina, ac sapientiæ laudibus memorabilis; quod facile ex libris, quos reliquit, intelligitur, ac Veterum testimonio. Sed quod pertinet ad rem nostram, Opera duo ejus nomine circumferuntur, Decretum, & Pannomia. Ac Decretum quidem Ivoni ipsi ab omnibus tribuitur, quod edidisse dicitur æmulatione Burchardi Vvormatiensis. Collectum autem est ex Epistolis Pontificum Romanorum Decretalibus, Canonibus Conciliorum, Patrum sententiis, ac Principalibus Constitutionibus. Nomine autem Constitutionum eas ipse intelligit, quæ Codice Theodosiano, ac Justiniani libris, & Regiis Capitularibus continentur. Porro de Pannomia, vel Pannormia, ut alii appellant, Bellarminus de Scriptoribus Eccles. in Ivone, & Gratiano, censet, nequaquam ad Ivo-

Ivonem pertinere: *Quia multa*, inquit, *libro VIII. sunt Decreta ex Innocentio II. Papa, & ex Historia Sigeberti, qui Ivone posteriores fuerunt. Vocari tamen Ivonis, quia ex Decreto Ivonis maxima ex parte sit desumtum; est enim quasi compendium Decreti Ivonis.* Sed tamen Antonius Augustinus lib. II. Dial. V. in ea esse hæresi videtur, ut Ivoni tribuat. Verba ejus hæc sunt. C. *Apud Ivonem extrema Pannormiæ Innocentii minoris verba referuntur, qui Callisto posterior fuit.* A. *Negare possum Ivonis eum librum esse; sed malo hoc affirmare, additum esse Concilium Innocentii Pannormiæ, non esse partem ejus Collectionis. Ostendere possum veterem librum, in quo neque id Concilium, neque nomen Ivonis, neque excerptionum præfatio continetur, & in Epistolis Ivonis, ea præfatio temporibus Paschalis minoris scripta est.* Duæ Decreti Ivonis editiones prodiere; altera Lovanii anno MDLXI. industria ac studio Johannis Molinæi; qui opus hoc, ægre id ferente Boëthio Epone, Decreto Gratiani antefert: altera autem Lutetiæ Parisiorum, cum aliis Ivonis operibus, Epistolis nempe, & Sermonibus aliquot, brevique Francorum Chronico, anno MDCXLVII. Johanne Frontono adnitente. Quo vixit Ivo tempore, eodem Deusdedit vixit Presbyter Cardinalis tituli SS. Apostolorum in Eudoxia. Hujus duo Opera exstant. Canonum Collectio, aut liber Canonum alterum appellatur: de privilegiis Romanæ Sedis alterum inscribitur, seu de rebus Ecclesiasticis. Utriusque meminit Baronius

tomo

tomo II. Annalium ad annum MLXXXVII. Scribendi caussa a Veteribus hæc commemoratur, ut adversus Henricum IV. Imperatorem Ecclesiæ rationes tueretur, qui vocibus, minis, armorum etiam vi adhibita, in eas ferebatur, Gregorio VII. impigre resistente, ejusque successoribus. Romani emendatores Gratiani hoc nomine utrumque Opus in indice, quem præposuerunt Decreto Gratiani, inscripsere: *Deusdedit Cardinalis Collectio Canonum, & libri quattuor de rebus Ecclesiasticis*. Hi libri, quod sciam, typis nondum editi; MSS. in Bibliotheca Vaticana, in aliis etiam adservantur. Baronius ad Ann. MLXXXVII. num. XXIII. Operis etiam meminit ab eodem auctore elucubrati, *adversus invasores, simoniacos, & reliquos schismaticos*; idemque appellat, *nobilem lucubrationem*. est in eadem Bibliotheca. Seculo etiam hoc XI. Bernardi Papiensis Collectio prodiisse dicitur, & Tarraconensis, quam etiam Antonius Augustinus, quod auctoris nomen nullum præferret, *Populetum* nuncupavit, a Regio Cisterciensis ordinis Monasterio, dioecesis Tarraconensis, cui nomen *Populeto*, ubi illam invenit. Gregorium item Presbyterum Hispanum, Ecclesiæ Compostellanæ Cardinalem, hoc tempore floruisse, plures prodiderunt, qui *Polycarpum* scripsit, hoc est, fructuosum, seu multi proventus librum. Sed jam ad seculum XII. descendamus; quo tempore Græci, Latinique Canonum explicandorum,

rum, colligendorumque ſtudio invicem certarunt. Atque ex Græcis quidem principem ſeſe offert Johannes Zonaras; qui fama ſapientiæ, & honoribus Byzantii inclaruit. Fuit enim Protoſecretarius, & Præfectus Drungi, ſeu Drungarius magnus. Deinde quietis, vitæque ſanctioris amore ductus, Monachus factus eſt; otiumque nactus, animum ad ſcribendum appulit. Itaque hiſtoriam καθολικὴν conſcripſit, uſque ad Alexii Comneni Imperatoris obitum; in qua Dionem fere ſequitur. Præterea Commentarios in Photii Nomocanonem, & Canones Apoſtolorum, Conciliorum Generalium, & Provincialium, ſeu in Codicem Eccleſiæ Orientalis, edidit; quos deinde plurimi latine verterunt. Alexius Ariſtinus conſecutus eſt, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus, quemadmodum in libro de Trinitate nuncupat Gilbertus. Canonum Epitomen Johannis Comneni Imperatoris juſſu ſcripſit; qua Epitome veluti index quidam codicis Canonum Eccleſiæ univerſæ continetur, ordine retento priorum Conciliorum, Nicæni ſcilicet, Ancyrani, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodiceni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſis; additiſque initio Canonibus Apoſtolicis, deinde Sardicenſibus, Africanis, Trullenſibus, tribuſque Epiſtolis Canonicis Sancti Baſilii. Sed hæc Collectio artificio nullo conſtat, videturque Alexius, ut memoriæ, in tanto rerum cumulo, ordinem ac præſidium aliquod

affer-

afferret, eam ſuſcepiſſe. Seculo hoc medio floruit Conſtantinus Harmenopulus, Canonici, Civiliſque Juris prudentiſſimus. Nomophylax, Sebaſtus, ac Protoſebaſtus fuit; inque aula Imperatoris, magni habitus. Plura ſcripſit; πρόχειρον νόμων, ſeu Legum Promtuarium. eidem tribuuntur Collectiones tres, Legum nempe Militarium, Colonariarum, Navalium. Quod pertinet ad rem noſtram, Epitomen divinorum & ſacrorum Canonum edidit; quos quemadmodum collegerit, quoque ordine uſus fuerit, ipſe in præfatione Collectionis ſuæ perſequitur. Matthæus Blaſtares deinde collocatur, & Simeon Logotheta. Priorem Juſtellus pater in præfatione ad Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ, inter ſcriptores Nomocanonum numerat. Meurſius etiam hujus Synopſin Conciliorum memorat in Gloſſario. Edidit poſterior Canonum Epitomen, eodem fere modo, quo Alexius Ariſtinus. Græce, Latineque Bibliothecæ Juris Canonici Veteris tomo II. Chriſtophorus Juſtellus edidit. ac mirum eſt, Leonem Allatium, hominem eruditiſſimum, in Diatriba de Simeonibus, & eorum ſcriptis, noſtri hujus mentionem nullam feciſſe. Sed jam a Græcis ad Latinos tranſeamus. Primus occurrit ſcriptor inclytus, Gratianus, qui, ut Antonii Auguſtini verbis utar, eorum omnium, qui ante ſe Canones collegere, laudes obruit. Sed ab initio eſt ordiendum. Is natione Etruſcus, patria Cluſinus fuit; ac prorſus errant, qui Claſſenſem

M faci-

faciunt. Incerto natum patre nonnulli prodiderunt; eademque matre adultera prognatum, qua Petrus Lombardus, Antistes Parisiensis, qui Magister Sententiarum appellatur, & Petrus Comestor. quæ tamen fabulis putidissimis alii attexuerunt. Hunc Monachum Benedictinum Classensis Monasterii factum, sacrarum litterarum studio vehementer delectatum, in Chronico Martinus, & Albericus in Dictionario docuerunt. Conradi III. Imperatoris temporibus Bononiæ vixit, cum ibidem Alexander, qui deinde Pontificatum Maximum adeptus est, Theologiam publice profiteretur. In Monasterio Divi Proculi cum esset, quemadmodum Præpositus in procemio Decret. tradit; vel ut ex Epitaphio, eaque Inscriptione, quam refert Pancirollus, intelligitur, in Cœnobio Divi Felicis, volumen Decretorum, quæ nunc pars prima Juris nostri Pontificii est, collegit; idemque Eugenio III. Pontifici Maximo misit. Sunt, qui contendant, id operis ab Eugenio publice probatum fuisse; vimque Legis illi additam; sed Sanctio istiusmodi nondum apparuit. Magnæ auctoritatis semper fuit; deque ea hæc habet Pancirollus. *Tanta*, inquit, *auctoritatis fuit, ut vulgo Magister vocatus, maximum in decidendis caussis pondus habuerit; etsi, veluti privati hominis, ejus dicta vim legis non obtinent. Itaque qui ejus Opus ita edidicisset, ut aliis prælegere posse videretur, baculo, veluti pro arrha doctrinæ, more Longobardorum, accepto, Doctoris titulo honestaba-*

ſtabatur; & a bacillo Bacillarius vocabatur; qui mos tum demum Bononiæ inſtitutus, a Pariſienſibus, ubi tum Decreta & formulæ docebantur, fluxiſſe fertur; in quorum vetuſtis Conſtitutionibus Bacillarii nominantur. Porro Gratianus Opus ſuum, Concordiam diſcordantium Canonum inſcripſit; factumque perperam Antonius Auguſtinus de Emendatione Gratiani lib. I. Dial. I. ab his ait, qui deinceps Decretum appellarunt. Antonius Demochares Decretorum Collectanea appellari vult: Decretorum Canonicorum Collectanea, Antonius Contius. Gratianum autem ad ſcribendum acceſſiſſe, Romani emendatores in admonitione ad Lectorem arbitrantur, ex facto Ivonis, qui in præfatione Collectionis ſuæ nonnulla de pugnantibus invicem Canonibus conciliandis tradit, ipſe autem negligit. Illorum verba hæc ſunt: *Noviſſimus iſtorum omnium, præter Auctorem Pannormiæ (nam is recentior fortaſſe eſt) Gratianus, Monachus Benedictinus, non tantum Decretis colligendis (quod ſuperiores fecerunt) operam dedit; ſed Ivonis fortaſſe præfatione excitatus, eo potiſſimum incubuit, ut, certis quæſtionibus propoſitis, quid in utramque partem ex Canonibus, qui inter ſe nonnumquam pugnare videbantur, dici poſſet, ipſe & afferret, & explicaret; omninoque eorum varietatem, quæ ſpeciem diſſenſionis habebat, ad concordiam revocaret. Ceterum in longo ac perdifficili opere, multa a parum æquis hominibus exagitabantur; nonnulla pii etiam, & verecundi interdum deſiderabant.* Sed quoniam Concordia hæc Gratiani pluribus ex

 por-

portionibus confecta est, ne mentes studiosorum variis hominum sententiis jactentur; de his paucis videamus. Quattuor igitur ejus fontes sunt: Jus Civile, Patres, Paleæ, Verba ipsa Gratiani. De Jure Civili si sermo sit, omnino apud nos certum est, quemadmodum Barbosa animadvertit, nullam vim Canonici Juris Civiles Leges obtinere ex facto Gratiani; nisi præterea aut Pontificis, aut Concilii alicujus Oecumenici auctoritas accesserit, eas Leges comprobantis; etsi hi aliter omnino sentiant, qui Pontifices, & Pontificios odere. Quod pertinet ad Patres; hi vel Pontifices sunt Maximi, vel viri quidam in conventibus coacti, vel alii denique, qui libris suis Codices Sacros, alia dogmata Ecclesiæ, ac disciplinam illustrarunt. Si de Pontificibus agatur, & Patribus secundi generis, quorum auctoritate Canones in Conciliis editi fuere, constat, quæ ab his decernantur, pro Legibus haberi; eaque peculiari nomine Epistolæ Decretales, aut Canones appellantur. De reliquis, qui scriptis suis Sacra Volumina interpretati sunt, Suaresii, & hominum doctissimorum sententia hæc est, quam lib. IV. de Legibus cap. V. n. VI. & VII. legimus. *Dicendum est*, inquit, *sententias, seu dicta Sanctorum per se, & quatenus nituntur auctoritate eorum, non habere vim legis. & ratio est, quia lex non est actus doctrinæ tantum, sed potestatis. Sancti autem Patres non habebant potestatem hanc, neque etiam hac intentione talia scripta tradebant. Dixi autem per se, & quatenus eorum auctoritate nituntur, quia interdum ipsi testi-*

testificantur de præcepto, vel a Christo, vel ab Apostolis tradito, vel Ecclesiæ traditione introducto, & tunc ex illis colligitur præceptum, tamquam ex testibus, non tamquam ab auctoribus. Unde juxta modum, quo de re aliqua seu obligatione testificantur, & juxta majorem, vel minorem consensum Sanctorum inter se, eo majorem, vel minorem fidem efficiunt. Addo prætera, sententias Patrum non accipere vim legis, eo quod a Gratiano in suo Decreto insertæ sunt, nisi ab aliquo Pontifice fuerint canonizatæ, ut inter Decretales aliquando inveniuntur. Ratio est, quia nec Gratianus habuit potestatem dandi vim legum; neque Pontifex aliquis pro legibus approbavit omnia, quæ in illo Decreto continentur. Quod attinet ad Verba Gratiani, quibus nimirum a Gratiano Canones & capita invicem conjunguntur; aut quibus distinctiones, & quæstiones exorditur; easque in partes quasdam tribuit, vel Canones conciliat dissentientes; Barbosa, vir eruditissimus, omnino existimat, nullam legum vim obtinere. Verba ejus hæc sunt: *Auctoritas Gratiani compilatoris hujus voluminis a nullo Pontifice reperitur approbata, nec est authentica*. Paleæ nunc sequuntur, de quibus pauca prius investigemus, cur *Paleæ* dictæ sint. Porro de hac re sunt variæ hominum sententiæ. Pancirollus lib. III. de Claris Interpretibus cap. II. non paucis de hac re disputat. Jacobus Cujacius ad cap. I. X. de desponsatione impub. hæc habet: *Palea nomine quidam significari putant, quod cassum est, & irritum, ut, caussa palearum dixit Solinus in India. Itaque Paleam dici,*

dici, per contemtum, Canonem nullius fidei, vel auctoritatis, ut apud Johannem Cremonensem ad Abbatem Uspergensem Imperator Fridericus, qui Alexandro III. valde infensus erat post Alexandriam conditam in Liguria de nomine Alexandri III. eam Paleam vocat, quasi factam ex cassis palearum, ex stramine. Equidem verius puto, hoc nomen præponi antiquioribus Canonibus, & Decretis, & scribi debere cum diphthongo Palæa, quia & in Basilicis sæpe video παλαιὸν nominari simpliciter antiquum Interpretem, & ita hanc Constitutionem, cum sit Hormisdæ, qui ex antiquioribus Pontificibus est, recte Palæam appellari. Antonius autem Contius, cum ad cap. II. dist. V. sententiam Cujacii commemorasset, hæc subjicit. *Cur hoc,* inquit, *& pleraque sic inscribantur, sæpe etiam inter doctos dubitari animadverti. Qui rectius sentire, & sapere existimantur, quasi παλαιὸν, idest, antiqua nuncupata volunt. Ego autem Paleam inscribi hoc caput existimo, & cetera similia, quia addititia sunt, nec a Gratiano primitus huic libro inserta, sed ab Interpretibus, prout cuique commodum videbatur, ad marginem Gratiani adscripta, & plerumque in emendatioribus, & antiquioribus exemplaribus prorsus omissa. Cui rei fidem facit antiquum Gratiani exemplar, quo in hoc emendando usus sum, in quo pleræque ejusdem Paleæ desunt.* Afferam postremo loco, quæ Romani emendatores memorant in præfatione Gratiani ad Lectorem. *De nomine,* inquiunt, *Paleæ, sunt variæ doctorum hominum sententiæ. Multi capita, in quibus res inanes, ac leves continerentur, hoc nomi-*

nomine appellari conſuerunt; alii quaſi τὰ παλαιὰ, ideſt antiqua; alii quaſi additiones quaſdam, derivata, aut potius depravata voce ab adverbio πάλιν, ideſt, rurſum, quo ſcriptores etiam Latini tempore Gratiani uterentur. Verum Johannes Andreæ in additionibus ad Speculatorem, titulo de Diſputationibus & Allegationibus, prope finem (quem Imola in rubrica de Verborum obligationibus, Alexandrinus in proœmio Decretalium, Jaſon in rubrica tit. de Actionibus, & alii ſunt ſecuti) p[illegible], quemdam Protopaleam, quem Jaſon addit Cardinalem fuiſſe, Collectioni Gratiani capita hæc adjunxiſſe. Atque, ut in re tam incerta aliquid elici conjectura poſſit, exponetur, quid in collatis exemplaribus obſervatum fuerit. In tribus, quæ ſunt antiquiſſima, & videntur ſcripta paullo poſt Gratiani ætatem, pauciſſima ex hujuſmodi capitibus habentur. In uno valde emendato ſunt appoſita in margine, ſine ulla nota, ſed non omnia quæ in impreſſis; quamvis viciſſim in illo additiones aliquæ ſint, quæ in his non habentur. In alio litteris perantiquis deſcripto Paleæ ipſæ recentiori ſcriptura toti volumini præponuntur. In ceteris habentur aut omnes, aut pleræque; & partim quidem tum Paleæ nomine, partim vero ſine ullo a ceteris capitibus diſcrimine. Ex qua obſervatione illud videtur poſſe colligi, has Paleas eſſe additiones non eodem tempore factas, ad primam Collectionem Gratiani, in margine primum adſcriptas, ac nonnullas fortaſſe ab ipſomet Gratiano (ut fit) inter componendum, aut relegendum; quas deinde librariorum quidam omiſerint; quidam in contextu poſuerint, interdum conjuncte cum prio-

prioribus capitibus, interdum cum aliquo discrimine. Falsam vero esse illorum opinionem, qui eas contemnendas putant, ex eo constat, quod multæ & in Decretalibus, & apud vetustiores Gratiano Collectores habentur; quod suis locis indicabitur. Aliæ ab aliis de hac re sententiæ dictæ sunt. Quæ verissima sit, Deus viderit. Ego neque diutius nunc vaticinari volo, neque ex his sum, qui cibum & somnum amittere velim ob hanc rem. Quod pertinet ad auctoritatem earumdem Palearum, Romani emendatores, ut supra demonstratum est, non contemnendas esse ajunt, eademque fere doctores gravissimi tradiderunt. Id valde displicet, in Collectionem hanc Gratiani conficta, ac supposita multa irrepsisse, cujusmodi plures sunt Isidori Mercatoris falsæ Epistolæ, aliaque non pauca.

Tres autem partes sunt Decreti Gratiani. Prima continet CI. Distinctiones: secunda habet Caussas XXXVI., & quælibet Caussa suas Quæstiones. Post Quæstionis XXXIII. tractationem disputatio de Pœnitentia attexitur, quæ distinctionibus continetur VII. Tertia denique pars de Consecratione est, & tribuitur in V. distinctiones. Nonnulli, Gratianum tradiderunt fuisse Cardinalem, sed id plurimi inter fabulas rejecerunt. Verius esse puto id, quod tradit Pancirollus, titulo Magistri a veteribus donatum fuisse Gratianum; non a Pontificibus dignitate Cardinalis. Quo tempore diem suum obierit Gratianus, omnino latet. Epitaphium, quod ei mortuo positum est Bononiæ, recitat

Pan-

Pancirollus lib. III. de Claris Interpretibus cap. II.; est autem istiusmodi:

GRATIANI CLVSINI. CAESAREI IVRIS ET PONTIFICII ENVCLEATORIS PROPE DIVINI. QVI MONACHVS IN MARTYRVM FELICIS ET NABORIS AEDE. ABSOLVTISSIMVM IBIDEM OPVS DECRETORVM ANNO GRATIAE MCLI. COMPILAVIT. SEPVLCRVM QVOD ILLIC CARIE ET RVDERIBVS ABSORPTVM. HIC MAGNIFICENTIVS RENOVATVM. IOANNES FRANCISCVS ALDROVANDVS BONON. IV. DICTATOR AERE PVBLICO RESTAVRAVIT ANNO SALVTIS MCCCCXCVIII. IDIB. IVNII IOANNE BENTIVOLO II. P. P. REMP. FELICITER GVBERNANTE.

A Decreto Gratiani ad reliquas Collectiones descendamus, nempe Decretalium, quæ cum plures sint, brevi tamen persequar. Princeps qui privato studio collegit Decretales Epistolas, Bernardus Circa fuit, primum Præpositus Papiensis, deinde Antistes Faventinus. Is Pontificum Decretales Epistolas, & Constitutiones usque ad Cælestinum III. hujus nominis collegit, & titulis iisdem fere disposuit, quibus Gregoriana Collectio constat, qua nunc utimur. Henricus Ostiensis, & Ægidius Bellamera Compilationem primam vo-

cant: ipſe autem, Breviarium Extravagantium. Antequam ad ſecundam Decretalium Collectionem deſcendo, de Theodoro Balſamone hoc loco pauca quædam dicam, qui iiſdem fere temporibus, quibus Circa, floruit. Diaconus is primum fuit Conſtantinopolitanus, Nomophylax, Chartophylax, Primus Blachernorum, ac poſtremo Patriarcha Antiochenus. Plura ſcripſit, quæ alii commemorarunt; in his Emmanuelis Comneni Imperatoris, & Michaëlis Anchiali, Patriarchæ Conſtantinopolitani, hortatu, *Expoſitionem ſacrorum, & divinorum Canonum; ſanctorum & celebratiſſimorum Apoſtolorum; & ſanctarum Oecumenicarum Synodorum, ac etiam localium, ac particularium, & reliquorum Sanctorum Patrum; præterea earum Legum, quæ ſitæ ſunt in XIV. titulis poſitis in principio Canonum, ut ſciatur, quæ in uſu ſint, & quæ non ſint*. Id operis Græce, Latineque, Lutetiæ Pariſiorum anno a Chriſto nato MDCXX. ex interpretatione Herveti editum eſt.

Seculo XIII. facta eſt Collectio ſecunda Decretalium, cujus tres memorantur auctores, Gilbertus nimirum, Alanus, & Johannes Gallenſis, ſeu Vallenſis. Tertiam Collectionem adornavit Bernardus Compoſtellanus, quæ Romana dicta eſt. Quarta quinquennio poſt tertiam ſub Innocentio III. Pontifice Maximo anno a Chriſto nato MCCXV. facta eſt, cui cauſſam dedit Concilium Lateranenſe IV. Duplex hujus Collectionis editio exſtat, altera, quæ habet Canones Concilii

Late-

Lateranensis LXXI. dumtaxat; altera, cui alia etiam Rescripta sunt adjecta. Tancredus Bononiensis Archidiaconus quintam adornavit, in quam conjectæ sunt Honorii III. Constitutiones. Hanc primus edidit multis post annis Innocentius Cironius, Academiæ Tholosanæ Cancellarius, & animadversionibus illustravit.

Hanc excepit sexta Collectio, quæ Gregorii IX. jussu, a D. Raymundo Pennafortio anno MCCXXX. adornata est. Expressa illa fuit ex Collectionibus superioribus; ea prætereaadjecta, quæ in his fuerant prætermissa; postremo insertæ Gregorii ipsius Constitutiones, quas ille ex Jure Civili Romanorum fere hausit, ut sæpius Cujacius animadvertit; id quod diligenter eos velim animadvertere, qui Juri Pontificum operam dant. Porro hæc Collectio Gregoriana libris V. continetur, quorum summam indicat Versiculus ille: *Judex I. Judicium II. Clerus III. Sponsalia IV. Crimen V.* Eosque plures commentariis & glossis illustrarunt, quos nil necesse est nunc commemorare. Hoc loco pauca quædam de Arsenio Monacho interferam. Fuit is Patriarcha Constantinopolitanus, ac sub Theodoro Lascare Juniore Canonum Synopsin ex Conciliis & Patribus in Concilio Trullano approbatis collegit, anno a Christo nato MCCLV.; qua diligentissime Canonicæ disciplinæ scientiam CXXXXI. titulis complexus est. Quod capita quædam Legum concordantia in ea collocarit, nonnulli Nomocano-

nem hanc Collectionem Arsenianam appellarunt. Vetitæ deinde in Occidente fuere Collectiones privatorum hominum; quamobrem usque ad Bonifacium VIII. qui ordine ab obitu Gregorii Pontifex XV. fuit, industria Collectorum siluit. Pontificatum igitur obtinente Bonifacio, liber VI. Decretalium adornatus est, sic appellatus, quod quasi liber VI. aliis quinque Gregorianis additus sit. Seculo XIV. Clemens V., qui Benedicto XI. successit, libris V. Concilii Viennensis Constitutiones, & suas complexus est, quas tamen morte præventus vulgare non potuit; vulgavit tamen, ediditque Johannes XXII. Hic ipse Johannes Pontifex edidit deinde Extravagantes XX., quæ ita appellantur, quod extra corpus ceterarum Collectionum vagantur. Sunt qui tradant, eas nequaquam prodiisse jussu, & auctoritate Johannis XXII., sed fato nescio quo. Eidem Johanni XXII. tribuuntur Regulæ Cancellariæ, quas Ludovicus Gomesius commentariis illustravit. Sub finem XV. sec. prodiit Collectio illa Extravagantium, quæ nomine Communium appellantur, quia non sunt Pontificis unius. Seculo XVI. opera & industria Paulli Lancellotti, Juris Pontificii Institutiones adornatæ sunt; eodemque fere tempore Marcus Antonius Cuccus, J.C. Ticinensis, privato studio Institutiones ejusdem Juris Pontificii scripsit. Bullaria, quæ appellantur, sunt deinde consecuta, quæ Pontificum Constitutiones integras continent ex regestis;

ſtis; qualia anno MDLXXXVIII. Romæ edidit Laërtius Cherubinus. Sub finem ſeculi XVI. anno nimirum MDXC. Petrus Matthæus J. C. Lugdunenſis privata auctoritate collegit VII. Decretalium librum, quem Cajetano Cardinali miſit, & in eum, eodem librorum numero, & titulorum ſerie retenta, quæ in Gregoriana Collectione, Conſtitutiones Pontificum poſt Sextum, Clementinas, & Extravagantes, conjecit.

Atque hæc hactenus de Collectionibus certis, earumque auctoribus, & tempore. Aliæ etiam ſunt incertæ, de quibus alibi dicam. Sic ſeculorum XVI. hiſtoriam complexi ſumus. Seculo etiam XVII. Collectiones quædam factæ memorantur, de quibus fortaſſe aliquando.

Perendie ad libros exponendos Decretalium Gregorii IX. initio ducto a titulo de Conſtitutionibus aggrediar. Faciam more, inſtitutoque majorum, ut Canones ipſos, & Epiſtolas Decretales, quæ Collectione hac Gregoriana continentur, diligentiſſime expendam; adhibitis nimirum, pro virili, tenuique parte mea, iis præſidiis, & inſtrumentis, quæ patrum noſtrorum memoria, majorumque, certo ſcio adhibita fuiſſe; quæque ipſe, veſtigiis illorum inſiſtens, Oratione prima populari, pollicitus ſum, me adhibiturum.

D I X I.



PATAVII. CIↃIↃCCXXVIII.

Excudebat JOSEPHUS COMINUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

ANTONII ARRIGHII

PUBLICI JURIS PONTIFICII PROFESSORIS

PRO JURISDICTIONE PONTIFICUM ORATIO,

HABITA IN GYMNASIO PATAVINO,

ANNO MDCCXXVIII.

MENSE NOVEMBRI.



PATAVII. CIƆIƆCCXXXI.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS
Superiorum Permissu.

ANTONIUS ARRIGHIUS

VIRO AMPLISSIMO

JOHANNI FRANCISCO MAUROCENO EQUITI

S. P. D.



Um mihi superioribus annis, in Gymnasio hoc Patavino Jus Pontificum publice tradenti, IIIviri Litterarii Judiciorum munus, ac Jurisdictionis persequendæ, quæ pertinet ad Pontifices, lege ac more detulissent, visus sum, veluti in secundo pacatoque navis cursu, flatu abripi ventorum quodam, inque syrtes scopulosque provehi atque inferri. Probe enim scis, Amplissi-

me Senator, pro tua sapientia, cultuque doctrinarum, inesse multa illi disciplinae & aspera & difficilia; quaeque omni aevo iras inter homines, & turbas excitarint. Sed quae de Jurisdictione atque Imperio Pontificum disputantur, sunt ejusmodi, ut dissidia non modo pepererint animorum, sed caedes etiam, fugam, vastitatem, & siquid his deterius, fortuna saeva, a mortalibus iratis mortalibus contingit. Quae enim non fuere in terra Italia de hac re contentiones, majorum nostrorum memoria? Quae non probra objecta litteris? quae non minae? quae non sicae intentae truculentae? Res sunt in medio; nec sine ingenti animi dolore, aut reminisci licet, aut retractare.! Quae utinam intra alpes, & ostium Oceani constitissent; nec ultra ad populos ac nationes excultissimas calamitas manasset. Sed quae non facta foeda ac misera Germaniam, Bataviam, Angliam, Gallias, Hispaniasque binas divexarunt? quae non Africam, natam ad certandum? atque, ut dicam paucis; quae non plagam ac gentem omnem Orientalium & Occidentalium? Haec igitur cum mihi menti animoque jamdiu obversarentur, non manus inde modo, industriamque, sed etiam oculos, si id fieri per litteras liceret, abstinere cupiebam; omninoque declinare rerum genus, quas studio ac factione partium scriptores quidam truces & virulenti odore ac tactu quodam venenato corrupissent. Nota tibi nomina Guillelmi Occami, Marsilii Menandrini, Johannis Sandaei, Leopoldi Bambergensis, Arnoldi Villanovani, Radulphi Columnae, Johannis Parisiensis, qui commentariis editis in hanc rem, turbarum plus fecere, quam necesse esset. Quid gloriae Etruscae lux, Dantes Aligherius, qui instar sexcentorum mihi est? libris illis tribus, quos De Monarchia *inscripsit, quae non pronuntiavit? quae non alii docuere scriptores innumerabiles? Sed quae dicis caussa provincia data esset, cum aut negare, aut deserere minime liceret; id*

mihi

mihi agendum omnino existimavi, ut, cum illorum disputationes omnino declinarem, illa non negligerem, quae hominis non inerudití tueri famam possent; quaeque ad veritatem pertinere mihi viderentur. Judicia itaque Pontificum, ac Jurisdictionem, seu potius ejus rei simplicem historiam, ex libris haustam Juris Civilis, afferre in medium sum conatus; adhibitis in loco Patrum auctoritatibus, veterumque Historicorum testimoniis. Visus mihi sum in omni oratione modum habuisse; stetisse etiam intra modum; inque vetere proposito hominum sapientissimorum permansisse, qui tradere non dubitarunt; teneri Jus Pontificum haudquaquam posse, nisi illud ad fontes, summasque origines Juris Civilis traducatur. Quaecumque fuerit industria mea, Amplissime Senator, quam sane sentio, quam tenuis & misera illa sit, eam ego fidei, ac tutelae tuae, tuae, inquam; hoc est, primum Sexviri, tum Triumviri, denique, quod caput est, JOHANNIS FRANCISCI MAUROCENI, *volui commendatam; inque tuo nomine, cum latere jam in pluteis ac palimpsesto, ephemeride praecepta, amplius non posset, publice apparere; ut virtute tua ac praesidio honestata, a morsu & impetu hominum malevolorum tuta sit. Tua enim dignitas hoc tibi tribuit, & fortuna, ut posses; mores & natura, ut etiam velles, litteras ac disciplinas, eosque, qui illas profitentur, in tuto esse; sequi praemia; nactosque otium & nobilitatem, perpetua quadam felicitate vitae consenescere. Idque ipsum est, quo nunc boni capiuntur; quo te cuncti praedicant, in luce ista civitatis clarius exsplendescere, quo te cuncti diligunt, colunt, venerantur; hi praesertim, qui excellenti quadam ingenii magnitudine, & litteris ornantur; seque pulchros beatosque putant, qui hospitium; qui clientelam; quique benivolentiam tuam egregie ullis factis fuerint aliquando consecuti. Atque haec quidem magna laus, atque ampla, ex uberiore tua bonitate, ac benefi-*

cen-

centia orta, cujus nomine nulla de te ætas, aut gens umquam conticeſcet; ſed major illa profectò vicit, qua te agente Veneta Reſpublica ſæpe ſenſit, maxima pericula, graviſſimis temporibus, virtute pulſa, judicio, diligentia, ac ſapientia tua; nactamque ſe ſe tuo labore id boni, quo nullum majus in civitate eſt bonum, incolumitatem. Teſtis in hanc rem Legatio illa ſit, quæ Vindobonæ ſuperioribus annis magnificentiſſime obita per te eſt apud Cæſarem; teſtes binæ illæ, quæ Romæ apud Pontificem; quo tempore, cum terroris ac formidinis plena eſſent omnia; cum non modo Venetorum urbes, ac provinciæ, maria ac littora, omneſque oræ pertimeſcerent; ſed Italia etiam univerſa; fuiſti tu, qui Reipublicæ opera, conſiliiſque tuis opitularere; pericula propulſares; illa denique ad ſalutem, providendo, agendo, orando, exorandoque afferres, quæ homo poteſt. Idque tibi bonum præſtans eſt de te ipſo; quamquam aliunde mutuari potuiſti; ubi magna ac præclara ingenia domi provenere, virique prudentiſſimi, ad litteras, ad honores, ad Rempublicam, denique ad omnia ſumma nati. Hinc Pater tuus eſt; hinc Majores omnes, Senatorii, Procuratorii, Principes, Imperatoreſque, quorum ſtudiis ac diligentia factum eſt, ut Venetiæ iſtæ tuæ, juſtitiæ ac fortitudinis admiratione quadam, mortalibus occurrant, & quaſi luceant. Hos cernit atque ediſcit; hoſque, ut ille inquit:

- - - - arcto ſtipata theatro
Spectat Roma potens;

Teque maxime, qui numquam rectè feciſti ut facere videreris; ſed quia aliter facere non potes. Vale.

Patavio, poſtridie Kal. Majas MDCCXXXI.

DE



PRO JURISDICTIONE PONTIFICUM ORATIO.



REDO ego, neminem ex vobis exſpectare, ut nunc pronuntiem, qua de re verba hoc anno ex hoc loco ſim facturus. Ita enim hominibus noſtri ordinis IIIviri Litterarii partes Juris Pontificii, ac munera pararunt, ut Legum ferundarum obita provincia, agant de Judiciis. Hæc vel ipſis noſtris nota apparitoribus, nil neceſſe arbitror, longa oratione, & pluribus exaggerata, vobis indicare. Id quidem video, fieri a me prorſus oportere, ut, Judiciis ipſis, ac formulis Judiciorum, eo, quo dixi, juſſu, ad nos delatis, rem arceſſam ipſam a ſuis originibus, & to-

totum hoc purgem criminis & probri, quod ἑτερόδοξοι, utinam ne etiam aliquot ex nostris, Pontificibus objectant. Nimirum in Judicia, & tam nitidam possessionem lege & jure eos non venisse, sed irrupisse; ac de sede sua veteres sessores deturbasse, vel cum his una in illa esse. Nisi hoc diluo, ac planum facio per tabulas ac testes, Judicia, & actiones, illarumque formulas ad Pontifices nullo scelere, aut fraude pervenisse, id ipse agere omnino videar, Judicia persequendo, quod illi agunt, qui ingentem sumunt operam in re futili ac nugaci. Omnino sic intelligo, rem me suscipere, aleæ, molestiæ, laborisque plenam, & hominum consiliis iratorum, fluctibusque objici opinionum, quos viri prudentissimi non sine caussa declinarunt. Sed jure illi ea caussentur, quibus maxime permoti, dicta ac voces hominum timere potuerunt. Mihi veritatem unam adamanti, nec tanti facienti aut asperum sermonem, aut laudem mollem, facile fuit, venire in regionem, quam plurimi desertam; vastam alii; studio veritatis ac virtutis ducti pauci, excultam voluere. Utinam me homines de hac re aliqua dicentem tantisper ferre velint; eaque patienter audire, quæ ex bonis sumsi. Faciam bonis pactionibus; ut parumper mihi in re versari liceat, bona illorum venia; his salvum jus sit, re utrimque disceptata, libere dicendi; si malint etiam, male. Neque enim meum est consilium, demere nonnullis eam voluptatem, quæ tantopere titillat, cum jure, vel inju-

injuria bonis detrahunt. Detrahant pro libidine; per me licet. Sed obsecro, hoc finant, si id tamen fieri ulla ratione potest, me ab ipsis impetrare, ut, postquam fabulam partiti, has sumsere partes ipsi sibi, ut nihil agerent; desinant, si agant, bonis maledicere, & miseram particulam probitatis iisdem invidere. Igitur ut appareat, ad Pontifices æquo & bono forum & Judicia pertinere, historiam Jurisdictionis quasi quamdam, viam muniturus, brevi attingam, a temporibus antiquissimis ad hanc diem usque ductam, qua die tam libere & impudenter optimis Pontificibus homines conviciantur. Spero, me ex lacu hoc tam turbido, præsidio tabularum, & hominum sapientissimorum opera & conatu facile emersurum; atque eo rem adductum iri, ut, qui Pontificibus bellum de Judiciis indixerunt, manus illis victas ultro dent. Alii fortasse nullo modo dabunt, qui ita existimant, Pontificum Judicia Maximorum, & totam illam de hac re ab ipsis constitutam disciplinam, mentemque interiorem etiam ab his cognosci posse, & optime teneri, qui prorsus sunt expertes earum rerum, quæ res a veteribus Romanis de Judiciis, eorumque natura traditæ ac præceptæ, Juris Civilis libris continentur. Alterum hoc certamen est, de quo id dicere majores nostri consueverunt; hoc est, boni illi, ac docti viri, qui XV. & XVI. seculo artium optimarum studia Italiæ reddiderunt; qui sic contenderent, furere & ineptire; inque ea pugna non gladiis o-

pus esse, sed fuste. Quid enim stultius excogitari a quoquam umquam potest, ne dicam turpius, quam ut artes duæ distrahantur, omnium nobilissimæ, quarum altera magnam partem alteram peperit? quæque inter se natura ac diligentia ita aptæ & conjunctæ sunt, ut non vinculum dissolvi, si quis eo manum afferat, sed disfringi videatur? Recte igitur Cujacius, quem accepimus, eos solitum exsecrare, qui veterum scriptorum lectionem, legum litiumque actionibus implicitam; eaque Judicia, quæ Pontifices, Dei & hominum concessu, compararunt, docendo, commentando, consulendo distraxissent. Atque is quidem Jurisperitorum formulas, veluti quemdam sanguinem, e legum Romanarum corpore, latius influere, omnino existimavit; nec Romanam ullam esse disciplinam, cujus non pars aliqua; sæpe etiam tota, Romani fori specie, earumque rerum quæ eo adducerentur, notitie illustraretur. Loca ergo plura esse Plautina, ac Terentiana, ut alios omittam; loca plura historicorum, quibus eæ formulæ maxime laterent; illarumque ope ea noscerentur; oratorum autem non loca modo, sed libros esse integros, qui per omnem caussam positam naturam in formulis iisdem & legibus haberent. Jus igitur Civile, ac legitima Judicia, ut sæpius inculcemus, semen esse quoddam & elementum artium plurimarum, præsertim hujus nostræ, quæ cum sit aucta & locupletata plurium disciplinarum opibus & ornamentis, legum vi ac robore maxime hone-

honestatur. Hæc mira his fortasse videbuntur, qui in nostra disciplina vehementer occupati, ac magnas rationes persecuti, multa quæsierunt, hæc non quæsierunt. Sed optimis ingeniis jam parcamus; deque Jurisdictione, quod suscepimus; dicere aggrediamur.

Ut igitur ortus & progressus ejus Jurisdictionis, quæ pertinet ad Pontifices, investigetur, principio id constituendum arbitror, esse omnino legitimum principatum in Ecclesia; qui primo quidem fuit penes Petrum; deinceps penes eos, qui, salvis majorum legibus, nec comitiis perturbatis Pontificatum Maximum post Petrum tenuere. Puto hoc mihi a vobis ultro dari, nec a me contendere, ut in re hæream, operamque sumam. Id bonos omnes, utpote sententia Codicum Sacrorum sanctiore definitum, accipere & probare prorsus video; eosque, quibus est unum studium non veri investigandi, sed de quaque re libere dissentiendi, dumtaxat dissentire. Porro principatu, quem diximus constituto, eodemque aucto, Principum benignitate, justa dominatione, facile id fiet, ut huic adjungamus legum ferundarum potestatem; quodque ex latione manat, juris reddendi dicundique. Hæc enim singula invicem cohærent, nec possunt separari. Quod qui non vident, nihil vident; earumque rerum, quæ legum Romanarum libris continentur, sese imperitos & ignaros profitentur. Ratio est enim quædam principatus, ut si vis ei imperii & potestatis ab

aliquo dematur, ne ſit quidem principatus; concidat deinde imperium & poteſtas, dilapſa latione; porro quæ ſit latio ulla in civitate, ſublata facultate cognoſcendi ? eſt enim conſecutio ejus juris, quod poſitum in rogando ferundoque, principatui adhæreſcit. Hæc vera ſunt, nec poſſunt ratione ulla hominum opinionibus labefactari; ſatiſque eſſe poſſent homini non pervicaci, ut fateretur, juſtam poteſtatem atque Juriſdictionem ex more & jure, rectaque ratione, & optimis oraculis expreſſam, Pontifices tenere. Sed amabo vos, Auditores, agamus liberaliter; oſtendamuſque per temporum memoriam, & incorrupta monumenta, quî hæc ipſa Juriſdictio, primordiis cauſſarum involuta, ac veluti vagina incluſa, oblatis rebus, perque annorum ſpatia, educi explicarique cœperit a Pontificibus; quîque in nudo jure ac ſimplici verſata primum ſit ſanctiſſimæ animadverſionis; mox rebus auctis, libere traducta ad indolem imperii atque poteſtatis; quæ vis eſt una ac propria Juriſdictionis; eaſque res, quibus rebus actio, accuſatio, petitio, coërcitio, forum denique, ac Judicia continentur; quibus opibus ac præſidiis deſtituta, nec ſtare ullo modo poteſt Juriſdictio, neque mente concipi, neque intelligi. Igitur initio eo fere genere poteſtatis, quod in animis curandis, alendaque officiorum ac virtutum, mutuæ præſertim Chriſtianæ caritatis, rectiſſima communione, poſitum eſt, uſi ſunt Pontifices. Hanc vulgo appel-

pellant ſpiritualem Juriſdictionem, quæ manare dicitur ex ea poteſtate, qua Chriſtus primum auxit Apoſtolos, his verbis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; docentes, eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis, & ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Cui hæç altera cohæſit, quæ his verbis continetur: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et illis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos teſtes. Si non audierit eos, dic Eccleſiæ. ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Huic poteſtati hæc ineſſe omnia, noſtri affirmant: docere, interpretari, ſacra facere, orare ad populum, ſolvere flagitio, rurſus carpere, cœtu pellere, vel excipere, legitimos conventus agitare, alia pleraque, quæ vix ſunt propria Juriſdictionis, ne vix quidem; ſi quidem hanc ipſam intelligimus, quod ſupra demonſtratum eſt, longe ac late vim manantem, cumque imperio, ac ſanctiſſimis Judiciis cohærentem, & juſta quæſtione. Sed cito tamen, quæ ſancta illa, atque interiore poteſtate contineri diximus, ad arbitria pervenere. Namque Divus Paullus vehe-

vehementer reprehendit, ſiquidem illorum, qui religioni Chriſtianæ nomina dediſſent, ad hos, qui non dediſſent, eorumque magiſtratus, controverſiæ deferrentur. Sic enim exiſtimavit, veluti iniquo loco, initum iſtiuſmodi certamen. Verba ejus hæc ſunt, quæ in Epiſtola I. ad Corinth. cap. VI. inveniuntur: *Audet aliquis veſtrum, habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? ſæcularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum*. Huc illa pertinent, quæ tradit Auguſtinus Pſal. CXVIII. Serm. XXIV. *Conſtituit enim*, inquit, *talibus cauſſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, in foro prohibens jurgare Chriſtianos*, & in Homil. L. *Hoc ipſum habere inter ſe judicia, & lites de ſæcularibus rebus, delictum eſſe dicit: quod tamen ferendum eſſe admonet, ſi vel Eccleſiaſtico judicio lites iſtiuſmodi finiantur*. Antiquiſſimi igitur Pontifices, quemadmodum ex locis pluribus apparet, eorum memores, quæ Apoſtolus præceperat, ita compararunt, ut in litibus dijudicandis arbitros Epiſcopos Chriſtiani ſumerent. Inde factum eſt, ut Gregorius, Epiſcopus Neocæſarienſis, qui Decii Imperatoris ævo floruit, in cauſſis diſceptandis, crebro adhiberetur; deque eo in Oratione de ejus vita prodidit memoriæ Gregorius Nyſſenus, de lacu cognoviſſe, cujus rei cauſſa erat inter fratres duos acerbiſſima contentio. Ejus verba hæc ſunt, ex Græco ſic Latine verſa: *Litis*

tis sit dominus Magister; *qui*, *cum ad locum*, *de quo controversia erat*, *venisset*, *suis ipsius legibus utebatur ad judicium*. Ejus etiam exstat Epistola, quam Græci Canonicam vocant, ex qua intelligitur, non solum Gregorium ipsum fecisse arbitria, sed sæpe etiam cum fratre Euphrosyno communicasse. Fecisse Ambrosium lib. VI. Confessionum cap. III. scriptum reliquit Augustinus his verbis: *Secludentibus me*, inquit, *ab ejus aure*, *atque ore catervis negotiosorum hominum*; *quorum infirmitatibus serviebat*. Postremo Augustinum ipsum, virum omnium sanctissimum, sapientissimumque fecisse sæpius certum est. Quam multa enim de eo Possidius, testis idoneus, in hanc rem memoriæ prodidit! quam multa de se idem ipse Augustinus pluribus locis! quam multa denique Auctor libri de opere Monachorum, qui Augustino tribuitur, cap. XIX.! quo loco quasi querens & dolens, se rebus illiusmodi a rerum divinarum contemplatione abstrahi, cogique inter jurgia ac turbas totos dies sumere, sæpissime jejunum: *His nos molestiis*, exclamat, *idem affixit Apostolus*, *non utique suo*, *sed ejus*, *qui in eo loquebatur*, *arbitrio*. Hæc viam quamdam ad Judicia munierunt, easque res, quibus fori species, ac judicis majestas continetur. Sed quod fit fere in rebus humanis cæteris, ut non continuo, sed datis intervallis, ac veluti per gradus quosdam perfectionem suam adipiscantur; contigit id ipsum ei Jurisdictioni, quam obtinent Pontifices; Judiciis item, quæ ex Jurisdi-

ctio-

ctione manant. Etenim principio Imperatores cum animadverterent, caste ac sancte a sanctissimis Episcopis arbitria administrari, sic constituerunt, ut, sella posita, judicis personam sumerent, sententiasque pro tribunali ferrent. Sed res tamen ita distinxerunt, ut, cum potestatem cognoscendi facerent, cogendi denegarent; sibi ac magistratibus creatis Imperium, cæteraque omnia, quæ Imperium ac Jurisdictionem comitantur, reservarent. Hinc voces illæ imperatoriæ, *notionis & audientiæ*, quæ passim in libris Codicis Justinianæi inveniuntur: quibus vocibus non plenam Jurisdictionem, aut libera Judicia ad Episcopos delata, nostri docuerunt, sed rem divisam; ita ut quæ noscendo & audiendo Episcopi inchoarent, dati judices cogendo, & imperando ad exitum perducerent, & consummarent. Huc litteræ illæ, Basso & Philippo Coss. datæ Idib. Decembr. ab Arcadio, Honorio, & Theodosio Imperatoribus ad Theodorum Præfectum prætorio, pertinent, quarum hæc sunt postrema verba: *Per judicum quoque officia ne sit cassa Episcopalis cognitio; definitioni exsecutio tribuatur*. Huc etiam spectat Constitutio illa inclyta Constantini, quæ a veteribus memoratur; quæque quavis hominum ac temporum injuria non intercidit. Exstat illa integra in lib. XVI. Codicis Theodosiani sub titulo, *de Episcopali judicio*; quamque post paullo totam omnino cum fide recitabo. Ejus fit etiam mentio apud Sozomenum & Nicephorum. Operæ pretium erit, scriptoris utriusf-

utriusque testimonia commemorare. Verba Sozomeni, quæ lib. I. cap. IX. inveniuntur, hæc sunt, ex Græco sic Latine versa: *Illud porro*, inquit, *est plane maximum reverentiæ Imperatoris erga religionem argumentum, quod clericos ubique per legem immunes præstitit; quodque illis, qui erant in judicium vocati, dedit potestatem, si vellent magistratus civiles rejicere, ad Episcoporum judicium provocandi, atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum judicum sententiis plus habere auctoritatis, tamquam ab ipso Imperatore prolatam statuit; quin etiam jussit, ut magistratus res judicatas exsequerentur; militesque eorum voluntati inservirent*. Nicephori testimonium legimus lib. VII. cap. XLVI. his verbis, sic Latine redditis. *Quæ vero*, inquit, *Imperator erga fidem observantia fuerit, abunde illud quoque testatur, quod clericos omnes, lege lata, liberos esse permisit, judiciumque in eos Episcopis, siquidem civilium judicum cognitionem declinare vellent, mandavit; & quod Episcopi judicassent, id vim sententiæ omnem obtinere decrevit; & quæ ab Episcopis judicata essent, ut ea a magistratibus RP. administrantibus, militarique, quæ sub eis esset, manu, exsecutioni mandarentur, constituit*. Hæc cum ita sint de Constantino, & illius Constitutione, fuere tamen Patrum nostrorum memoria, qui multis ac magnis verbis contenderent, nequaquam ab eodem esse editam. Eam homines otiosos excogitasse ac supposuisse; quique Pontificibus cuperent; eorumque potestatem auctam vellent, florentemque. Itaque una opera & legis vires conati sunt infringere,

 & So-

& Sozomeni ac Nicephori, quasi turpiter ementirentur, auctoritatem. In his Caroli duo fuerunt, Feuretrus alter, alter Loyseus; quodque pudet, Jacobus Gotthofredus, cui ego homini tantum tribuo, ut, cum Cujacio parem faciam, cæteris anteferam; sicque omnino existimem, tunc dumtaxat Romanas leges, illarumque vim ac sententiam ignorasse, cum voluit. Libet paucis commemorare, quæ contra allata sunt. Legem Constantinianam carere die & Consule; in Codice Justiniani non exstare; Innocentium deinde, tertium hujus nominis, optimum Pontificem, prudentissimumque; quique undique arriperet & aucuparetur, quæ sibi ratione aliqua commoda & utilia arbitraretur, uti potestatem suam augeret & confirmaret, ejus Constitutionis nihil meminisse. Si qua putet de ea re commemoranda, non Constantino, sed Theodosio tribuere. Postremo quod lege hac id concedatur, ut laicorum caussæ ad Episcopos deferantur, sive uterque litigantium libere assentiatur, sive alteruter. Obsecro, numnam homines istiusmodi nunc nugantur? Nullæ ne certæ ac justæ litteræ; nulla vera Constitutio; nulla rata lex, lata ab Imperatoribus; sancta denique, ac legitima erunt rescripta nulla, nisi quibus dies & Consul appositi inveniantur? Videant, ne fallantur. Cedo mihi Codicem Justiniani. Liber est primus pluribus inscriptionibus conclusus. Sunt libri reliqui copia rescriptorum ac legum refertissimi. Putasne Constitutio-

tio-

tionem, aut legem ullam inveniri posse sine die & Consule? O Dii boni! ubinam gentium sumus? Loca sunt, & ea quidem ampla, quæ inscribuntur, *De Sacrosanctis Ecclesiis, de Episcopis & Clericis, de Episcopali audientia*. Mitto reliqua, ne multa afferre videar, quæ non sint necessaria. Sic invenio, Zenonis, Anastasii, Justiniani ad Demosthenem Præfectum prætorio, Leonis ad Julianum, ejusdem ad Eutychium, Leonis & Anthemii ad Nicostratum, ad Dioscorum, ad Eutropium PP., Leonis ad populum, rescripta alia, sine die & Consule locis iis contineri. Caste ac sancte affirmare posse mihi videor, longe in volumine illo edictorum Justiniani, Novellarumque Constitutionum Leonis Augusti, Heraclii, Leonis Iconomachi, aliorumque leges plures inveniri, quæ sine appositione Consulis & diei perlegantur, quam cum appositione. An ne propterea legis vim iisdem detrahemus? Detrahatur; una eademque opera opus inclytum concidet ac dilabetur. Cedo mihi etiam Codicem Theodosii. Liber est XVI. *De Episcopali Judicio*. Rescriptum hic reperio Valentiniani, Theodosii, & Arcadii Imperatorum ad Optatum sine die & Consule. Plura de volumine ne quæramus. Ne loco moveatur; jaceat jam misere in sordibus ac situ; cum carie ac mure colluctetur; ne, si in lucem proferam, aut aliqui mortales, qui inscitia atque ignavia sua librum perdiderunt, mihi ipsi, aut ego illis contra maledicam. Consul igitur, ac dies nihil vitii afferent,

ut ego quidem arbitror; cum præsertim neminem esse putem, qui incuriam fortasse, ac negligentiam librarii, legibus sanctissimis vitio vertat. Recte Augustinus, qui tanto ante hæc animadvertit. Sic enim habet in Collat. tertiæ diei cum Donatistis: *Cognitor etiam interlocutus est, evidentissime legibus definitum, Imperialia Constituta, etiamsi Consules non legantur, in dubium non revocari*. At nullum vestigium in Codice Justiniani. Quot etiam exstant in Codice Theodosiano Constantini Constitutiones, aliorumque Imperatorum leges, quæ in Justinianæo non inveniuntur? Quid ergo ad hæc dicemus? non esse eas leges, quæ in Codice Theodosiano inveniuntur, Justinianæo non inveniuntur? Non puto hoc esse, aut hominis eruditi, aut Jurisconsulti. At Innocentius Pontifex non tribuit Constantino, sed Theodosio. Si hoc dicunt, non re, sed nomine erratum ab Innocentio; res salva est; convenit de lege, non convenit de auctore. Si id contendunt, oblato vitio ipsi nomini, continuo offerri rei etiam; faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant; re enim posita ab uno aliquo, inscitia alterius nihil obest; & vel in magno nominis errore res ipsa stare potest. Sed factum probe ab Innocentio, paucis ostendam. Datis litteris ad Gallos Præsules, de Philippo Gallorum rege, multis disputabat de Judicio & Jurisdictione; id quod apparet ex Cap. *Novit de Judic.* Sententiam in rem suam Valentiniani Imperaroris injiciebat, Caroli Capitularia, ac legem Con-

Constantini, quæ in Codice Theodosii erat. Quod cerneret, per hæc tempora, ante etiam, id moribus comparatum, ut quæ essent leges in Codice Theodosiano, etsi non omnes latæ a Theodosio, tamen Theodosianæ appellarentur, consuetudinem retinuit, scenæque & populo voluit inservire. Itaque Theodosianam appellavit, quamquam recte nosset ad Constantinum pertinere. Fecit idipsum Gratianus in Can. *Quicumque* II. qu. I. Sidonius etiam, & Gregorius Turonensis, quorum alter lib. II. Epist. I. hæc habet: *Leges Theodosianas calcans, & Theodoricianas proponens.* Alter autem lib. IV. cap. XLV. hæc scribit de quodam, cui nomen fuit Ardarcho: *Nam de operibus Vergilii, legis Theodosianæ libris, & arte calculi ad plenum eruditus est.* Non erravit itaque Innocentius, cum, re retenta, nomen Constantini cum Theodosiano commutavit. Id nunc est reliqui, ut respondeam Gotthofredo, qui legem ipsam falsi insimulavit; cuique nimium visum est, si lege permittatur, ut caussæ laicorum ad Episcopos perferantur, sive uterque velit, sive alter nolit litigantium. Agam modestissime, quemadmodum discipulum decet cum magistro; cumque eo homine, cujus industria, ac sapientia factum est, ut Jus Civile bonas artes omnes, ac disciplinas in laudis, & gloriæ certamen devocarit. Ajo ego latam, Gotthofrede, ferendique caussas fuisse Constantino & justas & veras; quod si ostendero, frustra contendetur, potestatem nimiam lege traditam. Porro tulisse, Sozomenus, & Nice-

Nicephorus, quod supra demonstratum est, memoriæ prodiderunt; nec possunt sine scelere & injuria mendacii redargui. Indicat idipsum Eusebius de Vita Constantini lib. IV. cap. XXVII. Deinde ejus legis Ivo, Gratianus, Innocentius, Carolus Magnus, cæterique Francorum reges sæpius in Capitularibus sub nomine Theodosii meminere. Ac si testimonia & judicia hominum sapientissimorum accipienda sunt, Tillemontius agnoscit, & Baronius; virque omnium prudentissimus Jacobus Cujacius in *l. XIV. digest. tit. de dote prælegata*. Jam ferendi caussæ continuo intelligentur, si lex ipsa integra recitetur. Verba igitur hæc sunt:

Imperator Constantinus A. Ablavio PF. P.

Religionis est, clementiam nostram sciscitari voluisse, quid de sententiis Episcoporum vel ante moderatio nostra censuerit, vel nunc servari cupiamus, Ablavi, parens carissime. Itaque quia a nobis instrui voluisti, olim prærogatæ legis ordinem salubri rursus imperio propagamus. Sanximus namque, sicut edicti nostri forma declarat, sententias Episcoporum quolibet genere prolatas, sine aliqua ætatis discretione inviolatas semper, incorruptasque servari, scilicet ut pro sanctis semper, ac venerabilibus habeatur quicquid Episcoporum fuerit sententia terminatum. Sive itaque inter minores, sive inter majores ab Episcopis fuerit judicatum, apud vos, qui judiciorum summam tenetis, & apud cæteros omnes judices ad exsecutionem volumus pervenire. Quicumque itaque litem habens, sive possessor, sive petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis,

lis,

lis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, judicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in judicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque caussæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur; nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit; testimonium etiam ab uno licet Episcopo perhibitum omnes judices indubitanter accipiant, nec alius audiatur; cum testimonium Episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum; illud incorruptum, quod a sacrosancto homine, conscientia mentis inlibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus; hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines, longis ac pæne perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel a cupiditate præpropera maturo fine discedant. Quidquid itaque de sententiis Episcoporum clementia nostra censuerat, & jam hac sumus lege complexi, gravitatem tuam, & cæteros pro utilitate omnium latam in perpetuum observare conveniet. Dat. III. Non. Maji Constantinopoli.

Cum itaque animadverteret Constantinus, Episcopos præcellenti quadam, atque eximia morum ac sapientiæ laude publice commendari; jamdiu etiam, & usu rerum, & Paulli sententia, in arbitriorum possessione sanctissime versari;

ſari; velletque jam RP. maxime pacatam, non a bellis ſolum, & calamitate externa, ſed a malis etiam inteſtinis; jurgiis præſertim, ac litibus privatorum; animum ad eos præcipua quadam cura & benivolentia adjecit; quod ſcilicet intelligeret, Præſulum ſanctiſſimorum operam ad contentiones exſtinguendas, quæ foro progignuntur; quæque facultates opeſque civium, præterquamquod deterunt atque abſumunt, concordiam animorum diſtrahunt ac divellunt, maxime valere. Judicia igitur ad eos dimidiata detulit, conſtituitque ampliſſime, ut laicis litigantibus, ſive uterque aſſentiretur, ſive alteruter; vel ipſa cœpta coram magiſtratu, vel nondum cœpta litis diſceptatione, libere liceret Epiſcopos adire, Judiciaque opperiri hominum illorum, qui optimæ religionis, verarumque legum & cuſtodes eſſent, & magiſtri. Una itaque, eademque lege & commoda privatorum, & RP. ſalutem, & Pontificum poteſtatem auctam voluit; nec ſatis jam dijudicare poſſum, plus ne ſibi eo modo, imperioque ſuo conſuluerit, an Epiſcopis. Recte igitur par. III. tit. I. *de Juriſdictione Eccleſiaſtica in civil.* cap. I. art. XXXI. Zegerus Bernardus Van-Eſpen legem Conſtantinianam laudat, omnemque poteſtatem laicorum cauſſas cognoſcendi ea, qua lege traditur, ratione, ad Epiſcopos traductam; *nimirum*, inquit, *ea indubie mens erat, ut populo pax & vera concordia procuraretur; liteſque ac contentiones inter fideles amice componerentur per Epiſcopum, communem ipſorum*

pa-

patrem; *atque Episcopi ministerio e cordibus eradicaretur litium*, *&* *dissensionum super rebus temporalibus ordinaria radix*, *cupiditas*; *&* *plantaretur pacis* *&* *concordiæ mater*, *caritas*. Addit deinde hæc *art. XXXII. Tota ergo Episcoporum Jurisdictio* *&* *auctoritas in laicorum caussis, ad concordiam pacemque inter litigantes conciliandam*, *miserosque homines e litium*, *&* *actionum laqueis ac tricis tendebat*; *ut proinde mirum videri haud debeat*, *si laicis libertas daretur ad ipsos*, *tamquam communes pacificatores*, *&* *patres recurrendi*. Hæc si vera sunt, lex constabit, eaque quæ lege constituta sunt; neque dies, quæ non deest, neque Consul jure objicientur, cum caveat de his nominatim Justinianus *Const. de nov. cod. fac.* §. *II.* *&* *de Justin. cod. confir.* §. *III.* nihil iis opus esse in iis legibus, quæ legitimo probatoque Juris corpore continentur; nec recte reliqua commemorabuntur. Optime igitur hæc intelligens Carolus Magnus, multis post sæculis eam Constitutionem nova latione curavit promulgandam. Placet ejus verba recitare. *Volumus*, inquit, *atque præcipimus*, *ut omnes ditioni nostræ*, *Deo auxiliante*, *subjecti*, *tam Romani*, *quam Franci*, *Alamanni*, *Bajuvarii*, *Saxones*, *Turingii*, *Fresones*, *Galli*, *Burgundiones*, *Britones*, *Longobardi*, *Vascones*, *Beneventani*, *Gothi*, *&* *Hispani*, *cæterique nobis subjecti omnes*, *licet quocumque videantur legis vinculo constricti*, *vel consuetudinario more connexi*, *hanc sententiam*, *quam ex sextodecimo Theodosii Imperatoris libro*, *capitulo videlicet 1*, *ad interrogata Ablavii Ducis*, *illi* *&* *omnibus rescriptam*, *sumsimus*, *&* *inter nostra Capitula*

D *pro*

pro lege tenendam, consultu omnium fidelium nostrorum, tam clericorum, quam & laicorum posuimus lege cunctis perpetuo tenendam. Hisque adductus Sanctus Leo, Rustico, Narbonensi Episcopo, Epist. II. respondit, via ac ratione sibi facere videri, qui habeat controversiam, si deferat ad Episcopos, neglectis magistratibus; quod nimirum Judicio Sacerdotum animos pacari, ac semina turbarum litiumque ab stirpe evelli posse existimaret; at ferente magistratu, decidi quidem malorum ramos, radicem non tentari. Crebro itaque hoc monet, ut pœnitens, quemadmodum ipse appellat, adeat Episcopos. *Si pœnitens*, inquit, *habet caussam, quam negligere forte non debeat, melius expetit Ecclesiasticum, quam forense Judicium.* Sed de his satis; ad cætera pergamus. Deinceps igitur ea tempora consecuta sunt, quibus temporibus Jurisdictio Ecclesiastica vix vestigium tenuit, quod antea nacta erat; vixque eo pervenit, quo gratia Imperatoris, favorisque aura provexerat. Constantino enim diem functo, Constantius filius Imperium Orientis adeptus est. Qui cum Ario & Arianis, hominibus impuris, vehementer cuperet, studeretque, omnia turbare, ac permiscere cœpit. Igitur magistratus ac judices constituti, facile impetrarunt sub iniquo Principe, ut, legibus sublatis, Episcopis Judicia adimerentur, sibi redderentur. Neque hoc sol vidit indignius, quam ut Episcopi ad eos in forum traherentur. Hinc voces illæ acerbissimæ & querelæ Patrum. Hinc Hilarii litteræ, Episcopi

Pi-

Pictavienfis, ad Conftantium ipfum, ne dati judices de cauffis clericorum cognofcere auderent. Libet Hilarii verba commemorare : *Provideat*, inquit, *& decernat clementia tua, ut omnes fe ubique judices, quibus provinciarum adminiftrationes creditæ funt, ad quos fola cura, & folicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiofa fe obfervantia abftineant; neque pofthac præfumant, atque ufurpent, & putent, fe cauffas cognofcere clericorum, & innocentes homines variis afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere, atque vexare. Intelligit fingularis & admirabilis fapientia tua, non decere, non oportere cogi, & compelli invitos & repugnantes, ut fe his fubjiciant, & addicant, vi oppreffi, qui non ceffant adulterinæ doctrinæ corrupta femina fpargere.* Quibus Conftantius ipfe nonnihil motus, hoc tulit, ut cauffas Epifcoporum Epifcopi cognofcerent; magiftratus abftinerent; quod facile intelligitur ex *l. XII. Cod. Theod. de Epifcopis & clericis*. De clericis, fi quæ illorum effent controverfiæ, aut quippiam deliquiffent, Præfides cognovere. Quæ fere valuerunt ufque ad Valentem, Gratianum, & Valentinianum Imperatores, quo tempore, lege ab his lata, criminum diftinctio inducta eft, cautumque, ut crimina graviffima ad Præfides, atque illuftres Poteftates deferrentur, ad Præfules leviffima, quæ ad religionem pertinerent. Si quid porro peterent, vel ab iis peteretur, vetus eft mos retentus receptus fub Conftantio, quæ fere continentur *l. XXIII. Cod. Theod. de Epifcopis & clericis*. Theodofius major cum deinde cerneret, leges an-

tea latas, Episcoporum gratia, & clericorum, judicum ac magistratuum invidia frequentius convulsas, sic constituit, ne Episcopi quoquam ad ullos judices pertraherentur, cum suos obtinerent in caussis Ecclesiasticis. Itaque Pontificium, ut ipse appellat, sacræ disceptationis, earum nempe caussarum, quæ essent Ecclesiasticæ, summam potestatem Episcopis reliquit; rerum controversiæ, ac civilium negotiorum, quod antea obtinuerat, apud Præsides hæsere. Placet Constitutionem Theodosianam integram recitare; quæ sine die & Consule legitur extremo lib. Cod. Theod. XVI. Verba igitur hæc sunt:

Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. ad Optatum P F. Augustal.

Graviter admodum mota est nostra clementia, quædam ab his, qui Episcoporum sibi nomina vindicant, perpetrata, & contra leges non minus divinas, quam humanas improba temeritate commissa; vexatos etiam nonnullos orthodoxorum clericos, quorum ætas huic injuriæ a sacerdotio repugnabat; flagitatos itineribus quæstionariis deditos; atque hæc omnia per eos commissa, qui ad tegumenta frontis, sacerdotii nominis titulos præferebant. Denique lectis in consistorio precibus, quibus Episcopalis pietas, aliquid postulans, refragatur denegatque, iccirco continua lege sancimus, nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ne ad judicia, sive ordinariorum, sive extraordinariorum judicum pertrahatur. Habent illi judices suos, nec quicquam his publicis commune cum legibus; quantum ad caussas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Epi-

sco-

ſcopali auctoritate decidi. Quibuſcumque igitur mota fuerit quæſtio, quæ ad Chriſtianam pertineat ſanctitatem, eos decebit ſub eo judice litigare, qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium ſacerdotum, ideſt per Ægypti diœceſim, Optate cariſſime, ac jucundiſſime. Quare laudabilis auctoritas tua arbitrio temperato quicquid negotiorum aliunde incidet, terminabit, habituro Pontificium ſacræ diſceptationis Timotheo Epiſcopo, quem ſibi omnes etiam ſuo judicio prætulere. Eſt enim vir cum omnium ſacerdotum ſuſceptatione venerandus, tum etiam noſtro judicio approbatus. Ejus eſt mentio Pontificii apud Arnobium ad Pſalm. LXVIII. his verbis: *In portis ergo hi arripiunt Pontificium judicandi & corripiendi*; legiſque Theodoſianæ portionem legimus apud Gratianum *in Can. continua* XI. qu. I. Hæc deinde Valentinianus junior paullulum commovit; quod in cauſſa fuit, cur Ambroſius, vir ſanctiſſimus, gravem illam Epiſtolam, quæ ordine eſt XXXII. ad Imperatorem daret. Itaque Arcadius & Honorius, Imperium nacti, æquiores in Eccleſiam & Pontifices fuere; paternæ ſcilicet pietatis æmuli, ac benignitatis Conſtantinianæ memores. Liberum enim fuit illorum lege cuicumque ad Judicia Epiſcoporum confugere; quæque ab his decernerentur, rata omnino eſſe voluere; ita ut nemini liceret a ſententia, quam tuliſſent, appellationem inſtituere, quod jus unis Præfectis Prætorio tributum fuerat, idque apparet *ex leg. Epiſcopale Cod. de Epiſcopali audientia*. Libet hoc etiam loco legem ipſam omnino commemorare. Sunt autem hæc verba ejus:

Imppp.

Imppp. Arcadius, Honorius, & Theodosius AAA. Theodoro PP.

Episcopale Judicium ratum sit omnibus, qui se audiri a sacerdotibus elegerint; eamque illorum judicationi adhibendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, a quibus non licet provocare. Per judicum quoque officia ne sit cassa Episcopalis cognitio; definitioni exsecutio tribuatur.

Dat. Idib. Decembr. Basso. & Philippo Coss. CDVIII. Quibus est tamen modus impositus lege illa, quæ prima est libri XVI. Codicis Theodosiani sub titulo *de Religione*. Porro hæc omnia ab optimis Imperatoribus constituta sustulit propemodum Valentinianus III. edita in eam rem Constitutione, quæ exstat lib. II. Novellarum legum Codicis Theodosiani, sub titulo *de Episcopali Judicio*; deinceps tamen Majorianus, & Martianus, Concilium item Andegavense aliud constituerunt. Sed Leo, & Anthemius Augusti, quod Theodorus, & Nicephorus tradunt, & intelligitur *ex l. omnes qui, & l. jubemus Cod. de Episcopis, & clericis*, cum omnia Pontificibus ademissent, ad magistratus retulissent, id etiam adjecerunt, ut clerici, ipsi etiam Episcopi, criminis alicujus rei facti, ad Præsides venirent, caussam dicturi, non domi audirentur; quod more & lege antea comparatum erat; cujus rei meminit Johannes Chrysostomus Homil. XIII. ad Antiochenos. Ejus verba hæc sunt ex Græco sic Latine reddita: *Vidi*, inquit, *nuper in judicio vinctos, & per medium forum abductos, illos illu-*

stres

ſtres viros. Ubi enim capitis devotio, dignitas nihil prodeſt. Plurima mittamus, ne longius, quam par eſt, oratio proferatur. In uno Imperatore Juſtiniano ſubſiſtamus; cui hanc gratiam æquo animo habeamus, & quod Romani Juris poſſeſſionem aliquam illius diligentia teneamus, & quod de Pontificibus optime ſit meritus. Igitur ſic conſtituit, ut lites clericorum ab Epiſcopis cognoſcerentur; crimina item Eccleſiaſtica, ut ipſe appellat; delicta reliqua Præſidibus, Præfectiſve Urbi reſervavit; quod ex Novella LXXXIII. & CXXIII. facile cognoſcitur. Epiſcopis etiam hunc honorem haberi voluit, ut ſi quis quid ab illis peteret, vel de iis quæreretur, trahi ad magiſtratus nullo modo poſſent. Itaque hoc reliquum fuit, ut Epiſcoporum judices Epiſcopi ipſi eſſent; quod jam Conſtantius jampridem imperarat. Quibus omnibus illud etiam addidit, ut monachi eodem Jure, quo clerici cenſerentur; nempe illorum cauſſæ ad Epiſcopos deferrentur; delicta etiam Eccleſiaſtica, neque eo nomine a quoquam evocari extra provinciam poſſent. Ne quis ſit igitur, qui jam miretur, ſi Nicolaus Pontifex anno a Chriſto nato DCCCLXVI. Bulgaris reſcripſit, laicos nullo modo clericorum judices eſſe poſſe; deſinatque Claudius Fleury Pontifici ſanctiſſimo id objicere, *hauſtam doctrinam ex falſis decretalibus, quas habeat Gratianus, & ex falſis legibus, quæ Codici Theodoſiano adjectæ ſint.* Legem Juſtiniani, & aliorum Imperatorum habuit ob oculos; quodque

omni

omni lege potentius eſt, divinas voces. Id ipſum etiam plurima Concilia decreverunt, ſanxeruntque, in quibus eſt Lateranenſe III. Atra illa tempora hominibus deinceps contigerunt, quibus Romanum concidit Imperium; ac nova regna, novæque ditiones ſunt inductæ. Quo loco ſteterit Juriſdictio Eccleſiaſtica; quæ ceperit incrementa apud nationes ſingulas, non ferunt jam temporis anguſtiæ, ut nunc oſtendam. Sed tamen, quemadmodum res geſta ſit in Gallia, in Anglia, in Italia, paucis perſequar. Et quidem Galli Reges ita Juriſdictioni favere Eccleſiaſticæ, ut in excolenda ea, augendaque non Reges mihi, ſed Sacerdotes fuiſſe videantur. Nam prætерquamquod Epiſcopi retinuerunt, quæ legibus Imperatorum jampridem obtinebant, de perduellione, de homicidio, de cæteris criminibus graviſſimis, Regibus probantibus, ac libere aſſentientibus, cognovere. De Rege Chilperico plurima narrantur; in his Prætextatum, Epiſcopum Rothomagenſem cum Meroveo Regis ipſius filio, in Regem conjuraſſe. Jam Gregorius Turonenſis lib. V. cap. XIX. & Aymoin. lib. III. cap. XXI. & XXVI. auctores ſunt, non alios Chilpericum judices tuliſſe, quam Synodum Pariſienſem. Verba Chilperici ipſa afferam, quæ leguntur apud Aymoin. *Quamvis, inquit, venerandi Pontifices, regia poteſtas reum majeſtatis legibus condemnare poſſit, ego tamen hunc, qui falſum ſibi Paſtoris nomen uſurpat, conjurationis contra me factæ auctorem, ſacris non contradicens Canonibus, veſtræ audien-*

dientia repræsento. Plurima Concilia per hæc tempora in Gallia coacta, Regum voluntate, ex temporum memoriis omnino constat. Sic ego video, & caussas, & crimina, & facta omnia clericorum, Patrum jussu, ad Episcopos delata; eaque Reges Gallos & probasse, & in Legum Codicem ac Capitularium retulisse. Hinc Synodus Agathensis, quæ sic constituit Can. XXXII. *Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem, Episcopo non permittente, pulsare; & si pulsatus fuerit, non respondeat, vel proponat, nec audeat criminale negotium in sæculari judicio proponere*. Inde a Gratiano sumtus est Can. *Clericum nullus* II. qu. I. Pertinent eodem Synodi Aurelianensis III. & IV. Antissiodorensis, Matisconensis, aliæ, quarum fit mentio locis pluribus a Gratiano. Quæ Carolus Magnus de Pontificibus constituerit; quam auctam voluerit illorum Jurisdictionem, ex illius Capitularibus apparet, ex lib. præsertim V. VI. & VII. quibus libris ea attexuit, quæ jamdiu Constantinus, Theodosius, Justinianus, aliique Imperatores legibus ediderant; illa etiam, quæ Synodis compluribus constituta. Nil igitur mirum, si per hæc tempora Canones & Leges, veluti juncto fœdere, opem sibi mutuam præbuere. Recte itaque Hincmarus, Archiepiscopus Rhemensis, Epist. IV. cap. VI. editionis Moguntinæ. *Qualiter autem*, inquit, *ordinati ministros sibi suppositos regere debeant, sacri Canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum, sed & sextusdecimus liber legum, quibus una cum Sacris Canonibus mo-*

deratur Ecclesia patenter ostendunt. Libri legum nomine Codicem Theodosianum Hincmarum intelligere, omnino certum est. Mitto illa, quæ Ludovicus Crassus, quæ Ludovicus junior optime in rem nostram pronunciarunt; non mittam quæ Philippus Augustus: qui a quodam olim id commonitus, regiam jurisdictionem in dies magis a clericis occupari, respondit, se ita quidem existimare, sed Christi memorem, unde beneficia maxima accepisset, Ecclesiæ illius omnia condonare; ac malle prorsus jurium suorum jacturam facere, quam cum Pontificibus ciere lites. Hinc sumsit ansam somnii Vergerii auctor, ut cap. CC. hæc scriberet. *Multi*, inquit, *magis eligunt vinculum Ecclesiæ, quam vinculum temporale; & ante aliquando mitterent, contractus facere sine quibus non possent vivere, quam se submittere curiæ temporali*. Nempe his temporibus non modo clerici clericis subjiciebantur, sed laici etiam ipsi de pluribus controversiis. Inde Mornacius quoque, frugalissimus interpres, ut eum Gravina appellat, ut nobis hæc relinqueret ad l. VIII. Cod. *de Episcopali audientia*. *Inde*, inquit, *eminuit per longas ætates unum pæne, ac solum in universa Gallia forum Ecclesiasticum; eviluitque toto illo tempore, quasique emarcuit, jurisdictio regia*. Postremo quæ non egere Carolus VI. & Carolus VIII. ut Pontificum Jurisdictionem & augerent, & tuerentur? Quæ sub Philippo Valesio, Rege optimo ac prudentissimo contigerunt, ostendunt, quo animo fuerint Gallorum Principes erga Pontifi-

tifi-

tificum Jurisdictionem. Nota pugna est illa inclyta coram Rege habita in conventu hominum nobilissimorum, inter Petrum Cugnerium, regium Procuratorem, & Bertrandum, Episcopum Eduensem; contendente altero pro Jurisdictione Ecclesiastica, contra altero. Quæ adhibita argumenta ac rationes ab utroque sint, non est hujus loci, ac temporis, ut commemorem. Exitum concertationis fuisse hunc video, quem tradit Nangius in Chronic. & Paullus Æmilius in vita illius; nempe Regem sic pronunciasse: *Velle omnino auctam Pontificum Jurisdictionem; non minutam quicquam.*

Ad Anglos veniamus. Multis sæculis in Anglia is mos fuit, ut summo in honore clerici haberentur; tantaque reverentia adhibita erga illos fuit, ut cum obviam hominibus aliquando fierent, veluti Dii quidam cælo delapsi, colerentur; quod Beda, sanctus vir, prodidit memoriæ Histor. Anglic. lib. III. cap. XXVI. cujus verba afferam, ut, quod proposui, confirmem, & quam discesserit terra illa a vetere honestate, cognoscere possitis. *Tota enim*, inquit, *tum fuit sollicitudo doctoribus illis Deo serviendi, non sæculo; tota cura cordis excolendi, non ventris; unde & in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus, ita ut ubicumque clericus aliquis, aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus, tamquam Dei famulus, exciperetur; etiamsi in itinere pergens inveniretur, accurrebant, & flexa cervice, vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant.* Cum igitur hic hominum or-

do apud Anglos floreret, mirari nullus debet, si Judiciorum Ecclesiasticorum possessionem usque ad Henricum II. Episcopi tenuerunt. Quo tempore procellæ sævioris vis coorta cuncta fere obruit. Regii enim magistratus apud Regem ipsum crebro questi, non sese, aut Regem Jurisdictionem obtinere, sed Episcopos, eumdem impulere, ut de ea re Clarendonæ comitia haberet. Omnia itaque Episcopis fere ademta, Regi reddita, ac magistratibus. Inde turbæ illæ inter Henricum, ac Thomam, Archiepiscopum Cantuariensem, cujus rei Radulphus, Neubrigensis, & Hovodenus meminerunt. Thomas solum vertere coactus est; cumque in Gallia, ab Ludovico juniore benigne exceptus, moraretur, Capitula illa Clarendonensia devovit, ac Regem ipsum. Modo ac ratione gesta actaque omnia a Cantuariensi, ex Epist. CLIX. Johannis Sarisberiensis apparet. Neque enim Rex tantum sua recipere, ac tenere voluit, sed etiam aliena. Verba Sarisberiensis hæc sunt. *Hæc Capitula*, inquit, *in primis damnata sunt, quod non liceat Episcopo, excommunicare aliquem, qui de Rege teneat, sine licentia ipsius; quod non valeat Episcopus coërcere aliquem parochianorum suorum pro perjurio, vel fide læsa; quod ad sæcularia judicia trahantur clerici; quod laici, sive Rex, sive alius caussas de Ecclesiis, & decimis tractent; quod non appellaretur pro caussa aliqua ad sedem Apostolicam, nisi Regis, & officialium suorum venia impetrata; quod non liceat Archiepiscopo, vel Episcopo, & aliis personis ad vocationem domini Papæ venire, absque*

que licentia Regis. Thomas deinde juſſu Regis obtruncatus eſt; cujus facti celerius Henricum pœnituit. Neque ita multo poſt Capitula illa Clarendonenſia, cum præſertim Legati duo Pontificis Maximi, Theodinus & Albertus, eam rem ab Rege poſtularent, ſublata; Judiciaque Epiſcopis reddita; quod Pariſius tradit.


Reliqui id eſt, ut de Italia, ſede olim libertatis & Imperii, litterarum etiam, nunc religionis, pauca attingam. Quamdiu Longobardi, Gothi quoque Reges eidem imperitarunt, Pontificum Juriſdictionem ſanctam habuerunt. Auguſtini Epiſcopi accuſatores ad Euſtorgium, Mediolanenſem Metropolitanum, remiſſos a Theodorico apud Caſſiodorum legimus I. Var. Epiſt. IX. Idemque cauſſam Symmachi Pontificis, non ſui judicii eſſe oſtendit, ſed Synodi, quæ tum Romæ cogebatur; voce hac uſus crebro memorabili: *de Eccleſiaſticis negotiis nihil ad ſe, præter reverentiam pertinere*. Regem Athalaricum eodem fuiſſe animo ac voluntate erga Pontifices Caſſiodorus idem III. Var. Epiſt. XXIV. auctor eſt. Libet illius teſtimonium hoc loco apponere. *Itaque*, inquit, *flebili aditione cauſſamini, hoc fuiſſe longæ conſuetudinis inſtitutum, ut ſi quis Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſervientem aliqua crederet actione pulſandum, ad ſupradictæ civitatis Antiſtitem negotium ſuum dicturus occurreret, ne clerus veſter forenſibus litibus profanatus, negotiis potius ſæcularibus occupetur*. & paullo poſt: *Atque ideo conſiderantes Apoſtolicæ Sedis honorem, & conſulentes deſideriis ſupplicantium,*

præ-

præsenti auctoritate, moderato ordine definimus, ut si quispiam ad Romanum clerum aliquem pertinentem in qualibet caussa probabili crediderit actione pulsandum, ad Beatissimi Papæ Judicium prius conveniat audiendus, ut aut ipse inter utrosque more suæ sanctitatis cognoscat, aut caussam deleget, æquitatis studio terminandam. Nempe eo studio atque obsequio erga Pontifices eos fuisse apparet, quo Fridericum II. qui, lege lata, quam legimus in Auth. *Statuimus, Cod. de Episcopis & clericis*, caussas clericorum ad Pontifices, & crimina quæcumque libere traduxit. Nunc quæ jam est aut inscitia, aut audacia, optimis Pontificibus Jurisdictionem denegare, cum majores caussæ, ut nostri appellant, bonorum omnium concessu, iisdem reserventur? Non video, qua ratione expediri, atque ad exitum perduci illæ possint, nisi Jurisdictio, ac Judicia tribuantur. Deinde recta ad Pontificem Romanum appellationem instituere licere constat ex Canonibus Sardicensibus; quam rem Carolus Magnus probavit, quemadmodum intelligitur ex lib. VII. Capitular. cap. CCXXXV. & CCCXXIII. Tanto etiam ante probarat Constantinus, quem Optatus Millevitanus iratum exclamasse, cum Donatistæ in caussa Cæciliani eum appellarent, memoriæ prodidit. *O rabida*, inquit, *furoris audacia! sicut in caussis Gentilium fieri solet, appellationem instituerunt.* ac statim ad Melchiadem Pontificem rem remisit. Optime igitur Divus Bernardus lib. IV. de Considerat. cap. III. ex eo Evangelii loco: *Duo gladii sunt hic*; & ex illo:

illo: *Conde gladium tuum in vaginam tuam*, colligit, gladium Pontifici esse; additque gladium utrumque & materialem, ut appellant, & spiritualem, ad Ecclesiam pertinere. Quod Pontifices intelligentes, sæpius eduxerunt. Inde ictus ille Gregorii Pontificis in Leonem Imperatorem; quod Theophanes, Cedrenus, Zeno, Nicephorus, aliique tradiderunt. Inde ille alter Gregorii VII. in Henricum IV. ut alios mittam. Postremo Regum & Imperatorum liberalitate urbes & provincias ad Pontifices delatas, omnino apparet. Porro postulo, an nacti Principatum ea, quam dixi, Principum benignitate, carere jam nunc debeant legum ferendarum potestate? Non puto, Pontificibus posse denegari, in ditione collocatis, quæ Turca, quæ Barbari reliqui, gentium latrones, dicuntur obtinere. Id si est, Judicia ac Jurisdictio, quæ sunt a latione, ad illos pertinebunt. Sed homines fateri tandem video, si pauca demantur acuta ingenia, quibus erui non potest, non turpia fuisse, ac mala initia dominationis, nec die perpurgata, nec cleptam usucapere. Sed hæc hactenus. Satis ego arbitror ostendisse, Jurisdictionem Pontifices obtinere. Jure igitur Judicia & actiones, earumque formulas, quas nobis reliquerunt, expendemus; eaque non temere congesta, aut prodita, sed sumta ex lege media demonstrabimus.

DIXI.



PATAVII. CIↃ IↃCCXXXI.
Excudebat JOSEPHUS COMINUS.

ANTONII ARRIGHII

PUBLICI JURIS PONTIFICII PROFESSORIS

DE

ECCLESIIS SUBURBICARIIS

ORATIO,

HABITA IN GYMNASIO PATAVINO,

ANNO MDCCXXIX.

MENSE NOVEMBRI.



PATAVII. CIↃIↃCC XXXI.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS

Superiorum Permissu.

ANTONIUS ARRIGHIUS
VIRO AMPLISSIMO
PETRO GRIMANO
EQUITI, ÆDISQUE
DIVI MARCI PROCURATORI

S. P. D.



UÆ *controversia est de Ecclesiis Suburbicariis, Amplissime Senator, ea & antiquissima est, & maximis difficultatibus implicita, & adhuc sub judice. Ubi enim primum injectum est vocabulum, hominis cupiditate, vel novandæ rei, vel etiam angustandæ, quasi data dictione, ætates consecutæ, non vaticinari modo, & argutari; quod passim fit in rebus plurimis; sed invicem confligere cœpere, & animis obstinatis decertare; cum se quisque veritatem nactum; quod non ita est facile in humanis rebus; arbitraretur. Porro in ea disceptatione hominum ingenia*

nonnullorum mirari licet, acumen summum, doctrinam, sapientiam; quodque facio plurimi; eximiam in dicendo moderationem. Contra nonnullorum, ut inscitiam mittam, ac superbiam, & saevum quoddam, atque atrox disputandi genus; perpetuum insanumque studium obtrectandi laudibus Pontificum, ac dignitati; quasi Suburbicaria res esset Pontifex; aut is, in quem tam gravi, atque acerba oratione liceret desaevire. Atque hoc quidem de his fortasse ferri posset, qui a nobis in pluribus articulis religionis discessere; quamquam non potest; cum non calumniis de trivio arreptis, aut probro & contumelia pugnandum sit, sed jure & bono, ac robore argumentorum: in his porro, qui stare una, ac se se nostros profitentur; qui tertio quoque verbo pietatem, probitatem, sancta jura ac foedera; qui Pontificum Maximorum majestatem omni honoris specie vereri ac venerari praedicant, quanam ratione perfidia haec tanta ferri potest? Ego in hac pugna hominum acerbissima viribus aliquibus accessi, non jurgii studio adaugendi, sed, si id posset, tandem modo aliquo aliquando componendi. Non multa admodum de me ipso pollicebor; nec mihi illa tribuam, quae plerique sibi vanissime tribuerunt, qui Ruffini somnium, ac vocem Pythiam prorsus illustratam existimarunt, ubi ipsi os, ac manus admovissent. Mihi satis erit, hoc est homini non grandia & admiranda molienti, si in loco sic versari hominibus doctissimis videbor, ut illa attingam, quibus Aesernini illi pugnacissimi, si pacem nullam, at aliquas inducias possint depecisci. Quaecumque sit industria mea, ejus fructum non exiguum me cepisse existimabo, si probari Tibi, Amplissime Senator, eam intellexero; si loco aliquo, non hominis irati, non asperi, non acerbi; quod pluribus illorum, qui offas urbicarias attigerunt, video usu venisse; sed ejus, qui non indiligenter, quod paucis, in rem investigarit, arbitrabere; si denique, quod desit, non tam

nostro vitio deesse judicabis, quam alieno. Sed rerum omnium re hac una maxime lætabor, si tale quid hæc mea lucubratio tibi videatur, quæ digna sit, quam cera quadam tua ornes miniatula; quo ego nomine sperare possem, id fore, ut cives tui cæterique hominum plena suffragatione mihi assentirentur. Eam enim ex domestica, publicaque civitatis institutione artium, ac doctrinarum opinionem nactus es, ut rectum id, atque excellens censeatur, si quid ipse ex vi summa ingenii, aut retractando, aut redolando, tamquam anadema, litteris adjicias. Ex quo factum est, ut Arbiter disciplinarum, non bonorum modo omnium consensu existimere, sed Augusti tui Veneti Senatus gravissimo decreto, Patavinæ Academiæ, quæ reliquarum omnium omni ævo princeps habita, Triumvir, & Curator creareris. In qua procuratione, quæ non est tua; Viri prudentissimi; quæ hactenus non fuit diligentia, in optimis ac sapientissimis quibusque deligendis, ut Athenæ hæ nostræ Patavinæ industria ac delectu quodam tuo clarius exsplendescerent? quæ animi constantia in tuenda eorumdem dignitate? in augendis illorum commodis? in principibus civitatis viris commendandis? quasi res tua illorum res esset; eorumque laude laus tua augeretur. Ac mihi quidem sæpenumero sedulo expendenti, unde hæc tibi evenerint tanta bona, libuit attendere, Familiam illam atque Civitatem, amplissimo fortunæ munere, obtigisse; in qua qui nascerentur, ad præstantem quamdam, inclytamque litterarum, artiumque, quibus temperatio imperii, ac splendor continetur, possessionem conformarentur; nec verbis dumtaxat, ac præceptis, quæ magna tradere, ac magnifica cuivis in promtu, sed exemplis, usuque ipso patrio, ac familiari, & continenti quadam majorum usurpatione, civiumque. Hinc copia illa domi tuæ, visque ingens hominum fortissimorum, quorum eximia opera, ac summa sapientia per decem, & amplius

secu-

secula usa est Respublica in tot gestis bellis terra ac mari, in maximis provinciis administrandis, in tristi sæpe, ac difficili procuratione Civitatis, denique in legationibus aut ad Cæsarem, aut ad potentissimos Europæ Reges splendidissime obeundis. Quas ob res præclare gestas, dignitas Equestris, & Procuratoria, Principatus & Imperia sæpissime delata. Hinc series etiam quædam sancta, & admirabilis Episcoporum, quorum litteris ac pietate plurimum splendoris obtigit Ecclesiæ; hinc denique Purpuræ Romanæ decus & ornamentum, DOMINICUS GRIMANUS, *Cardinalis, litterarum Pater, ac litteratorum; in quo uno maxime superioribus annis Venetam prudentiam, veteremque Romanorum eloquentiam Italia suspexit. Hæque artes in Familiam, ac Gentem inclytam ex justa felicique Civitatis temperatione optime traductæ; atque omnino eadem disciplina & institutis illa stetit, quibus Venetiæ tuæ, resque, Imperiumque Venetorum, legitimum, æquabile, fidele, ac temperatum; quod veluti virtutis officinam quamdam, tutamque stationem litterarum ac religionis, in fœda hac clade, æterna fata esse voluerunt. Igitur ab ea justitiæ ac sapientiæ opinione, populorum fuit, principumque, & nationum, portus & perfugium Senatus aliquando; privatorum autem, quibus cogitatio ulla umquam fuit, rerum possessionem retinendi, aut comparandi, qua recti & boni, ac studia doctrinarum continentur, sacrarium & asylum. Non præsidium ullum illis defuit ad fortunam, non decora, non ornamenta, nulla denique benignitas. Nihil opus est de munificentia Veneti Senatus lentius disputare, plurium exemplorum appositione. Verumtamen quamdiu rerum Venetarum memoria permanebit; quamdiu item homines & fari & loqui poterunt, ejus rei nomine, loca undique, cælum, terra, ac maria personabunt. Hinc clarissimæ imperatoriæ mortes, omni præmiorum, atque ornamentorum genere, in filiis quoque, aut etiam infra, liberalissime*

exor-

exornatæ. Vitæ uberius. Statuas videmus, & signa egregia, atque imagines hominum fortissimorum in foro medio, in curia, in templis; ut sic existimem vel tenui ferentario; aliquando etiam ære diruto, qui R P. justo sacramento, ac fide singulari defendisset, mercedem rerum, & suum quoddam quasi præmium virtutis extitisse. Non commemorabo litteras nunc quidem, illarumque æra; non Meursium, non Heinsium, non Audebertum, aliosque, quorum magna copia, honore a scriptione auctos, & præmiis non exiguis honestatos; nequis porro existimet, memet studium meum, vel cupidine, vel insolentia quadam laudando extollere. Verumtamen Actii versiculi ne prætermittantur, magnifici, sinceri, optimi, propemodum divini; quibus jure, eo genere, certare possit cum Græcis cunctis, Latinisque:

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem; & toto ponere jura Mari.
Nunc mihi Tarpejas quantumvis, Juppiter, arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si Pelago Tybrim præfers; Urbem adspice utramque:
Illam homines dices; hanc posuisse Deos.

Atque ex his ille, decreto Patrum, ceram suam in curiam intulit; quam deinde, aliquot præterea hominum clarissimorum, ignis vis absumsit; domum autem præter beneficii illius memoriam sempiternam, eo quidem nomine H-S. duodeviginti millia. Dignus porro vir, qui in Republica virorum feracissima nasceretur, quando etiam Veneti civem suum Actium appellarent. Tibi id certe obtigit ingens fortunæ munus, in ea potissimum Urbe nasci, quæ & Domina & Patria esset, & magni imperii domicilium, quæque iis virtutibus, quas commemoravi, par summis esset, vel omnino superaret. Unde non maximo negotio optimas, præclarasque res haurire potuisti, & tamquam exprimere de parentis sinu; quas deinde judicio,

at-

atque usu quodam tuo, & perpetua constantia roborares. Hisque ornatus auctusque, magistratus magnos sanctissime gessisti; crebro operam tuam, atque industriam in Curia commendasti; maximas legationes obiisti; quibus summo ingenio ac prudentia administrandis, Patriae nobilissimae, totique Italiae temporibus difficillimis profuisti. Te Angli Legatum ad Regem missum diu suspexerunt; quodque in te fulgentem litterarum speciem animadverterunt, nomen tuum honorificentissime in tabulas Academiae retulere. Te munus idem magnificentissime obeuntem apud Caesarem Germania vidit; quo tempore cum nefariae illae Turcarum sicae, hostium aeternorum, Reipublicae nostrisque omnium jugulis repente minitarentur; cum Italis incendia, caedes, vastitates undique impenderent; cum Roma, ac sacra ipsa contremiscerent; qua non egisti diligentia, solertia, animi constantia, ut juncto foedere pestis illa averteretur? ut in sceleratos foederum violatores, illorumque capita id exitii referretur, quod in nos pararant? Tuis igitur consiliis, quibus Veneti cum Caesare sanctissima amicitia juncti sunt, pugnae illae binae ad Temesvariam, & Albam Graecam acceptae referendae; & fuga Corcyrensis, qua non Corcyraei modo, sed tota Italia recreata. Quo nomine Respublica tibi redeunti gratulata, Equestri Dignitate, ac Procuratoria honestavit. Te nunc Patria inclyta; te Pater felix prole virûm intuentur; teque ego maxime, gratia ac suffragio tuo, in petitione bonoris caeteris antelatus. Fixa est mihi animo, semperque erit memoria illius diei sempiterna; cum ad te veni; cum semel petii; cum a te discessi non beneficio modo, sed laudibus etiam cumulatus. Vive diu, spes Litteratorum; vive Tibi; vive Patri, ac Fratribus, hominibus fortissimis; vive Reipublicae quam splendidissimam in oculis omnium Gentium, splendidiorem tuis virtutibus effecisti. Vale.

Patavio, postridie Non. Jan. MDCCXXXI.

DE



DE AGRO LIMITATO
ORATIO.



Uod diu multumque optavi, ut redire ad Juris Civilis ſtudia aliquando, quæ culta mihi maxime ab ineunte ætate, tempora reſque meæ identidem diſtraxiſſent; inque iis ſine offenſione ullius perſequendis, honeſtiſſima conditione, liceret conquieſcere; id tandem ſingulari quodam D. O. M. beneficio, atque eximia Veneti Senatus, ac Triumvirum Rei Litterariæ Ampliſſimorum liberalitate, videor aſſecutus. Nam, etſi ſatis fructus ac dignitatis ex iis diſciplinis nactus eram, in quibus tres annos ipſos loco humiliore publice verſatus, hominum exſpectationi aut ſatisfeci, aut certe conatus ſum ſatisfacere; tamen, quod ar-

artes eæ majorem quamdam vim ingenii, ac doctrinarum postularent, quam ipse præditus auctusque essem; eæque crebro opinionum fluctibus, ac jactatione populari abriperentur; vehementer cupiebam, eo recipi ac traduci; ubi laboris ac periculi minus esset; tutiusque in sede hac, omnium editissima, nempe in luce Italiæ, civiumque oculis agitarem. Sed tamen in summa hac loci hujus, veterumque studiorum gratulatione, duæ res me, primum de Civili Jure dicere aggredientem, maxime perturbant; quarum altera hominum illorum querela est, qui trans alpes incolunt; nostrorum altera.

Acerbe sane, atque aspere illi criminantur, Italos id agere contentione ingenti in legibus interpretandis, ut actum agant; artesque bonas a viris summis, Grotio ac Leibnitio, legum earumdem felicitate quadam, publice adscitas; illorumque exemplis & auctoritate, a Gallis, Germanis, Batavis, Britannis, eos aut negligere, aut ignorare, aut aspernari; quibus artibus, veluti e primis fontibus, Juris Civilis caussæ, originesque deriventur; eaque, quæ ad jus publicum, quæ ad philosophiam primam; quæ denique eo spectant, unde si discesseris, nulla juris ars, aut disciplina stare possit. Gravis ac molesta, seu postulatio, seu criminatio hæc est, quæ diu me anxium, sollicitumque habuit; quæque hominum nostrorum judicia ac voluntates maxime permovit. Consilium nostrum est hominibus istiusmodi paucissimis occurrere; cæte-

rum

rum in refellendo ita agam, ut hominem decet & laudis Italicæ, & veritatis ſtudioſum. Quædam igitur non dubitabo, quoniam natura me neque formidoloſum, neque aſſentatorem finxit, libere negare; quædam autem ingenue fateri. Ac primum quidem id vehementer miror, homines inventos, ſive ex Alpicis illi ſint, ſive ex Tranſalpinis, qui ſibi in animum inducere potuerint, edi terra Italia, progignique nunc ea ingenia, quæ ſaxa fere, ac ſtirpes ſint; eoque illam devenifſe, ut aër, ut campus, ut ſolitudo mera omnino ſit. Superi, veſtram fidem! Sed non agam ego contra contumelioſe. Id in re hac ſolum dicam, ea Italorum nunc eſſe ingenia, amiſſo imperio, quæ olim, cum illud obtinerent; acria, acuta, ad omnes res bonas apta, atque accommodata. Qui artium optimarum ſtudia, accepta a Græcis aut illuſtrarunt, aut fecere etiam meliora. Qui barbariem a cæteris nationibus, ab ipſis etiam Tranſalpinis faſtidioſiſſimis, depulere. Qui humanitatem ac diſciplinas omnes cum iis communicarunt. Qui præclara multa in rebus ad Matheſim ac Philoſophiam pertinentibus, invenere, unde illi ipſi nunc feroces minitantur. Qui denique leges ipſas præclariſſimas & primi & ſoli peperetunt; partas educarunt; mox jactatas ac prope merſas obrutaſque, temporum injuria, hominumque, vindicarunt principes, atque extulere; publice nunc tandem, privatimque, temporibus non ita perditis, augent & ornant. Hæc

cum ita sint, Auditores, non puto in hac re esse illis multa, quibus contra Italos possint jure gloriari. Id quidem vereor, ne quæ ad jus publicum, earumque caussarum rationem pertinent, quæ jus illud comitantur, jure ac bono Italis objiciant. Neque enim hoc est negandum, si aliqui demantur homines excultissimi, qui studia illa cum studiis Juris Civilis conjungunt, vel seorsum profitentur, reliquos universe, non dicam ignorare, aut aspernari, sed non magni facere. Etsi hoc non temere eo nomine video nonnullos propugnare, quod munera Alpinorum, artesque inclytæ sint res suspiciosæ; timendumque sit ab hominibus istiusmodi, dona Italiæ ac xeniola ferentibus. Ita enim esse litterarum commoda, ut morum, ut pietatis erga Deum, ut optimæ religionis sint pestis & calamitas. Sed hæc jampridem viri eruditissimi rejecerunt. Cur enim reliquæ ab his excultæ summo ingenio, summaque industria disciplinæ; cur non volumina repudiantur, quibus asperæ atque acerbæ illæ disputationes continentur, quas tamen avidissime Italia persequitur? Sed ne multa. Hominum prudentissimorum consilium est, ut habito delectu, libri illi ad libros Juris Civilis illustrandos traducantur, quos Grotius, Leibnitius, Puffendorfius nobis reliquerunt, cæterique qui de jure publico conscripserunt; ut una opera eademque & legum caussæ, & effecta, eaque quæ circumstant, intelligantur; & gentium omnium mores; æquumque & bo-

& bonum non modo quod in jure eſt, ſed quod eſſe debet; quodque in ipſis ſummis juris originibus ac primordiis, nempe in natura ipſa, & illius honeſtate latius exſplendeſcit; ut denique acerbiſſimis adverſariis, perpetuo garrientibus, os tandem occludatur; cum præſertim facultas illa digna ſit opera ac diligentia hominis Italici, ac luce ingenii ad excolendum, qua præſtat cæteris. Querela ſupereſt Italorum contra Italos, quam paucis attingam; quamque utinam vitare potuiſſem, ſalvo officio, ac loci hujus ratione; ne carpere noſtrorum quemquam, vel defendere viderer contra noſtros. Sic igitur illi ſtatuunt: artem Juriſperitorum vim eſſe quamdam, uberem ac diſſipatam; quæque plures alat diſciplinas, & pluribus alatur. Eo itaque Oratorum libros pertinere; eo Poetarum; eo Hiſtoriam omnem; eo Philoſophiæ nobiliores partes; eo denique Græcam Latinamque linguam univerſam. His nobilitatos, qui in ſolo Italico, aut de jure reſponderunt, aut jus interpretati ſunt. Jam factum opera nonnullorum, ut artes eæ, quæ veluti miniſtræ erant facultatis principis, illi adimerentur; quæque quodammodo regina foret, potens, magnifica, ſplendida, excellens ſatellitio; tamquam detractis regiis ornamentis, ancillula, egena, miſera, obſcura, detruſa denique ad ima fori, & curiæ miniſteria, turpiter obſoleſceret. Acris querimonia, ſed vera. Qua in re legum fata quædam; tempora nonnulli excuſare maluerunt.

Non-

Nonnulli (quod Italo homine eſt indignum) iſtiuſmodi juriſprudentiam veterem appellare, vietam, veternoſam. Ego, quid nunc reſpondeam, aut quo me vertam, neſcio; niſi id ago, quod ii agere ſolent, qui homines duos amiciſſimos in jure vident, manum conferentes, ut communes ipſi amici, arbitrique accedant. Orent principio, atque obſecrent, ut, quod nomen eſt, æquo & bono id ſolvatur; ſin minus, diem prodant; denique quovis modo tranſigant, potius quam de ſella jus aſpere reddatur; vitaque & fortunæ alterius illudantur. Hoc primum itaque, per Deum, perque Italiæ decora, ac majeſtatem priſtinam, rogo obteſtorque, ut una omnium ſit ſententia de legibus reſtituendis, reddendiſque his nativis ornamentis; quod fiet facile, ſiquidem bonorum Commentarii in uſum revocentur, qui jacent in angulis bibliothecarum. Conſulant, conſultent, expendant diligenter; dies proferetur. Si id fieri non poteſt; ut ſententia dividatur, & paucis ſine invidia, his nimirum, qui publice ex hoc loco jura profitentur, ea laus relinquatur, quibus id ſit ſplendidum & glorioſum. Cæteri utilitates ſuas, & miſeram conſuetudinem perſequantur. Bona hac ſpe ego ad rem aggrediar; &, quod ſit mihi ac adoleſcentibus felix & ſalutare, librum Digeſtorum XXIV. & qui ſequuntur, ſuſcipiam exponendos. Ea de connubiis, libris hiſce aperiendis, de ritu nuptiarum, de dote, de ſponſionibus, de legibus,

ſena-

ſenatuſconſultis, ac judiciis in hanc rem commemoranda ſunt, quæ neque intelligi ſine excellenti quadam doctrinarum ſupellectile cuiquam poſſunt, neque expendi intelligentibus ſine ſumma animi voluptate. Quæ non reſcripta, quæ non edicta, quæ non reſponſa occurrent, quibus non ſit abdita ſanctior, ac ſelectior quædam notitia antiquitatis? Quæ cum interpretarentur Alciatus, Goveanus, Hottomannus, Budæus, Duarenus, Barnabas, Cujacius, aliique, & vehementer proclamarent, nullam eſſe legem in libris Juris Civilis, cujus percipi ſententia ulla poſſit, niſi eo artium optimarum ſtudia ad illuſtrandum afferrentur, homines arrexere. Ego, ut arrigam, & meis, & vocibus illorum maxime contendam; ac faciam nunc periculum, ea re propoſita, cui minimum eruditionis, quicumque ad eam rem manus admovere, ineſſe exiſtimarunt. Vos, ubi ipſe ediſſeruero, dijudicabitis. Is porro eſt locus *de Agro limitato*, cujus crebra hoc anno nobis erit mentio. Ejus in lege *Tiberianus*, in lege *Quicumque*, in lege *Agros limitaneos*, titulo Codicis *de Fundis Limitrophis, terris, & paludibus, & paſcuis limitaneis & caſtellorum*; in lege *Iccirco*, titulo Codicis *de liberali cauſſa*, Imperatores meminerunt; Juriſconſulti item in lege *Limenarchæ* Digeſtorum titulo *de ſervis fugitivis*; in lege *Divus Adrianus, de cuſtodia & exhibitione reorum*; in lege *Ait Prætor, de Fluminibus*; in lege *In agris limitatis, de acquirendo rerum dominio*.

Vos

Vos nunc ego oro atque obſecro, Auditores, ut, dum pauca commemoro, me benevole attenteque audiatis.

Quæ de Agro limitato a Veteribus traduntur, ita cum legibus agrariis conjuncta ſunt, & jure Coloniarum, ut, niſi, quæ ad hæc pertinent, prius intelligantur, illa vix intelligi, ne vix quidem poſſint. Dicam igitur paucis principio de Coloniis; pluribus deinde de legibus agrariis; poſtremo diſceptabo de Agro limitato. Colonia Oppidum eſt, quo Civitatis pars, aut ſociorum deducta eſt ad incolendum. Atque eum morem a Romuli inſtitutis initio manaſſe, Dionyſius Halicarnaſſius memoriæ prodidit; eumdemque, apparet, reges deinceps cæteros tenuiſſe; pulſis porro regibus, Senatum Populumque Romanum; Senatus poſtremo, Populique fracta poteſtate, Imperatores. Cauſſas ac rationes vel novarum deducendi, vel renovandi veterum, fuiſſe has fere invenio; ut plebs urbana, homineſque tenues ac proletarii, qui nihil fere, præter caput & togam, numerare poterant, ſpecie utilitatis & honoris ab urbe pellerentur; tum deinde ut in finibus imperii contra hoſtium conatus, priorumque populorum tumultus repentinos, firmiſſima præſidia ac propugnacula ex civium, aut ſociorum robore collocarentur; tum denique ut milites, prœliorum diuturnitate feſſi, præmium aliquod aliquando caperent laborum ſuorum. Plebis exhauriendæ cauſſa, ſæpe Colonias decretas eſſe, & Plutarchus in Coriolano,

lano, & Dionysius lib. VII. literis prodidere; & Livius lib. III. qui Senatum Antium Coloniam decrevisse narrat, ut sine querelis possessorum plebs in agros iret; civitas in concordia esset; & lib. X. qui Romæ quietam plebem & exoneratam, deducta in Colonias multitudine. Idque ipsum est, quod P. Rullus Tribunus plebis, cum in Senatu magnopere contenderet de ferenda lege agraria, innuit his verbis: *Plebem urbanam nimium in R. P. posse; exhauriendam esse*. quod M. item Tullius ad T. Pomponium Atticum de Flavia lege agraria, cum promulgaretur, scribit: *Ut emtione agrorum constituta, sentina Urbis exhauriretur, & Italiæ solitudo frequentaretur*. De tumultu Populorum, hostibusque propulsandis & Flaccus in lib. de conditionibus agrorum meminit non paucis, & Livius, qui Ecetras Volscis, Nequinum Umbris, Sinuessam Samnitibus, Placentiam & Cremonam, veluti claustra quædam, objecta Gallis docuit; & Cicero secunda agraria verbis hisce: *Hoc in genere, sicut in cæteris R. P. partibus, diligentia majorum est spectanda, qui Colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocassent, ut non oppida Italiæ, sed propugnacula Imperii esse viderentur*. & in Fontejana: *Narbonem Marcium Coloniam civium Romanorum, speculam P. R. & propugnaculum Gallis oppositum esse, atque objectum*. Denique, quod pertinet ad Colonias militares, præmiorum caussa, ex veterum Scriptorum testimonio, certum est, eas deductas esse, & ab

C L. Syl-

L. Sylla, & a C. Cæsare Dictatoribus; ac post deinde Syllæ ac Cæsaris exemplo, ab Antonio, Lepido, Octaviano, R P. Triumviris; postremo etiam ab Augusto ipso, cum imperium universum unus obtineret. Ac de Sylla quidem id apparet ex Liviana Epitoma LXX. & LXXXIX. Ex Græca item Appiani historia, qui centum viginti millia hominum ab eodem deducta esse memorat; quam rem Lepidus Consul, inimicus Syllæ apud Sallustium vellicat acerbissime in concione: *Maximam mihi fiduciam*, inquit, *parit victor exercitus, cui per tot vulnera & labores, nihil, præter tyrannum, quæsitum est. Egregia scilicet mercede, cum relegati in paludes & silvas, contumeliam atque invidiam suam, præmia penes paucos intelligerent*. Cæsarem deinde deduxisse, Tullius in Antonium auctor est, qui hæc habet: *Deduxisti Coloniam Casilinum, quo Cæsar ante deduxerat. Omni auspiciorum jure turbato, Casilinum Coloniam deduxisti, quo erat paucis ante annis deducta*. & Frontinus, cujus hæc sunt verba: *Lanuvium muro ductum. Colonia deducta a D. Julio*. A Triumviris R P. factas deinceps deductiones, Suetonius, Frontinus, ac Dio Cassius meminerunt; Hyginus item ab Augusto, qui in hunc modum loquitur: *Divus Augustus in assignata Orbi terrarum pace; exercitus, qui sub Antonio, aut Lepido militaverant, pariter & suarum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in Provinciis. Quibusdam deletis hostium Civitatibus, novas Urbes constituit; quosdam in veteribus Oppidis deduxit, &*
Co-

Colonos nominavit. Illas quoque Urbes, quæ deductæ a regibus, aut dictatoribus fuerant, quas bellorum civilium interventus exhauserat, dato iterum Coloniæ nomine, numero civium ampliavit, quasdam & finibus. Quicumque autem quavis de caussa aliquo deducerentur, his certum agri modum, sive agrum limitatum assignari oportuit; atque id omnino fieri senatusconsulto, aut rogatione aliqua populari, quæ proprio vocabulo lex agraria appellata est. Atque illa quidem multis articulis comprehensa est. Nam & agrum definivit, qui esset dividendus; & qui dividerent, constituit; & quibus divideretur. Omnis porro dividendi ratio bipertita fuit. Aut enim nulla Coloniæ mentione facta, Plebs Romana, aut Socii in agro collocati sunt; aut iis ipsis ita ager assignatus est, si ex urbe in Coloniam, cujus erat ager dividendus, proficiscerentur. Genus agri utrumque multiplex fuisse, veteres tradiderunt; nempe aut ex hostibus quidem captum, nondum tamen publicatum; aut sumtu publico, dividendi caussa publice coëmtum; aut publicum P.R. ac jure & bono a Populo possessum; aut denique publicum, sed furtim potentia paucorum usurpatum. Ac leges eæ, quæ priorum trium generum divisionem imperarunt, facile ac nullo resistente, sunt perlatæ; non ita facile, quibus potentes occupatis possessionibus ejiciebantur. Id quod pluribus memoriæ est proditum. Sp. enim Cassius Consul, cum de ea re ferre summa animi contentione aggressus esset;

ſet; Tribunique plebis quotannis, Caſſium ſecuti; jactati tamen & impediti artibus nobilium ac factione, perferre nullo modo potuerunt. Quæ res quemadmodum acta geſtaque ſit omnis, ut planius intelligatur, libet nobiliſſimam quamque legem, agrorum dividendorum cauſſa, latam a veteribus, afferre ordine, ac recitare. Primus igitur rex fuit Romulus, qui lata lege ad Populum, agrum publicum dividi imperavit, ac ſingulis bina jugera aſſignari; quod Varro his verbis tradit lib.I. de RR.: *Antiquus noſter ante bellum Punicum pendebat bina jugera; quod a Romulo primum diviſa dicebantur viritim; quæ, quod heredem ſequerentur, heredium appellarunt.* Numa deinde, quod docet Dionyſius, ejus agri partem, quem bello ex hoſtibus Romulus cepiſſet, civibus diviſit; idque ipſum a Servio factum eſt ex iis agris, quos Vejentibus, Cæritibus, & Tarquinienſibus ademit. Pulſis regibus, ſatis conſtat, Tarquinii agrum, cui nomen fuit Superbo, præter Campum, qui Martius a veteribus appellatus eſt, plebi ſenatuſconſulto conceſſum fuiſſe. Bella deinceps perpetua in RP. fuerunt, quibus partem magnam geſtis feliciſſime, vis non exigua hoſtilis agri adjecta eſt; iſque aut Colonis tribui, aut publicus relinqui conſuevit; donec Sp. Caſſius tertium Conſul, anno a Regibus exactis XXIV. legem illam, de qua ſupra demonſtratum eſt, tulit, ut agri pars, capti ex Hernicis, Latinis tribueretur, plebi Romanæ pars; atque id quidem Caſſio facile ex ſenten-

ten-

tentia processisset, nisi lege illa Patricios insectatus, contendisset, agri publici aliquantum, quem incuria Magistratuum ii intercepissent, ut illo adjiceretur. Perferre igitur, iis adversantibus, nullo modo potuit. Cassiam agrariam agraria altera tribunitia de septem jugeribus, plebi dividendis, consecuta est, cujus lib. XVIII. Plinius mentionem facit in hunc modum: *M. Curii post triumphos, immensumque terrarum adjectum imperio, nova concio est; perniciosum intelligit civem, cui septem jugera non essent satis. Hæc autem mensura plebi, post exactos reges, assignata est.* Meminit etiam Columella lib. I. his verbis: *Post exactos reges*, inquit, *Liciniana illa septem jugera, quæ plebis Tribunus viritim diviserat, majores quæstus antiquis retulere, quam nunc nobis præbent amplissima vervacta.* Utraque hæc lex semen quodammodo, ac germen fuit in libera civitate ingentium dissidiorum, ac rixarum. Recte igitur Livius, qui Sp. Cassii agrarias actiones, veluti malorum fontem quemdam, notat; additque inde usque ad suam memoriam, numquam sine maximis rerum motibus iis agitatum. Decem enim & septem annos post agrariam alteram tribunitiam, Ti. Æmilio & L. Valerio Coss. de agris dividendis agi per Tribunos cœptum est, qui, desidia magistratuum, quæ Cassii criminatio jamdiu fuerat, detinebantur. Hisque Ap. Claudius se se objecit. qui cum multa in Urbe moliretur adversus Tribunos pl. ad divitum ac nobilium caussam undique tuendam, factum est,

ut

ut ab his illi dies diceretur; qui diem tamen antea obiit, quam caussa agi posset. Qui triennio post fuere Tribuni pl. urgere agrariam rem non desiere; quo tempore atrox procella ac sæva R P. fortasse perdidisset, nisi Fabius Consul consilio salutari optime occurrisset. Ejus enim talis sententia fuit, quæ neque agentibus, seu potius furentibus Tribunis pl. displiceret, neque etiam divitibus resistentibus. Cum enim multa & in Foro, & in Campo, atque in Curia jactarentur, is censuit: *T. Quintii ductu & auspiciis agri capti priore anno aliquantum a Volscis esse. Antium propinquam, opportunam, & maritimam Coloniam deduci posse. Ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram; civitatem in concordia fore.* eaque sententia accepta est. Annis post CCCXXXVI. capti Lavici, L. Sergio, M. Papirio, C. Servilio, Tribunis militum, consulari potestate; quo tempore cum agrarias turbas Tribuni plebis permovere viderentur, Patres, ut conatus tribunitios occuparent, otiumque in civitate retinerent, frequentes censuere, ut Lavicos Colonia deduceretur. Sed ea re tamen id consequi non potuere, quod maxime concupierant. Namque Mecilius ac Metilius, homines turbulentissimi, biennio post nacti tribunatum, omnia miscuerunt. Rogationem enim ad Populum tulerunt, ut, qui ager ex hostibus captus esset, viritim divideretur; magnæque nobilium partis eo plebiscito fortunæ publicarentur. Cæterum ea lex, ut Tribuni plebis illam magnopere urgerent,

Ap.

Ap. Claudio, viro nobili ac factioso, summæque per hæc tempora potentiæ in civitate, parante impedimenta, nequaquam perlata est. Idque ipsum sequenti anno, intercedentibus collegis, L. Sextio, Tribuno plebis contigit, qui id tentarat, ut, quemadmodum paullo ante Lavicos, ita Volas Coloni mitterentur.

XX. deinceps & amplius annis a contentionibus agrariis R P. fere quieta fuit; cum interea ager Vejentanus captus est. Tum Consules L. Lucretius & Ser. Sulpitius ut plebis, ac Tribunorum studia lenirent, S. C. hac sententia fieri curarunt, ut agri illius jugera septena plebi dividerentur; neque id modo patribus familias, sed singulis de familia liberis capitibus. Eaque res post paullo, accisis Volscorum rebus, agrarios arrexit, ut Pomptinum agrum dividendum postularent: ac tertio quoque verbo acta Cassiana injicerent seditiose. Donec anno CCCLXXXV. Sextius ac Licinius Tribuni plebis, inimicitiarum cum nobilitate persequentissimi, non sine magnis rerum motibus legem pertulere, ut ne quis plus quingenta jugera agri, centum majoris pecoris capita, quingenta minoris possideret; quod narrat Appianus; Livius etiam id præterea addit, a Tribunis primores Patrum interrogatos: *Auderent ne postulare, ut, cum bina jugera agri plebi dividerentur, ipsis plus quingenta habere liceret? ut singuli prope trecentorum civium possiderent agros, plebejo homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ pateret ager?*

Eo

Eo igitur lato plebiscito, nobilitas vetere possessione agrorum fusa est, & quies diuturna, ad Gracchos usque, fuit in civitate. Quæ enim interea temporis factæ sunt partitiones, eæ neque ejus agri, quem privati possiderent, fuere, sed illius, qui ex hostibus captus esset, aut foret publicus PR., neque ullo fere rerum motu contigerunt. Itaque anno CDXIII. & Latinus ager, & Privernas, & Falernus, qui Campanorum fuerat, usque ad Vulturnum flumen plebi divisus est; & anno CDLXIII. Sabini pars, quod cap. de abstinentia his verbis Valerius tradit: *M. Curius*, inquit, *decretis a Senatu septenis jugeribus agri Populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit; parum idoneum R.P. civem existimans, qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset*. Gallicus præterea, ac Picenus anno DXXV., rogationem ad Populum ferente C. Flaminio Trib. pl., quod Polybius memorat, & Cicero in Catone Majore, & Varro lib. 1. RR. hoc modo: *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est*. Anno denique DLII. & LXXIX. divisiones duæ duobus S.C. imperatæ, quorum alterum Cn. Cornelio, & P. Ælio Consulibus, ad Senatum referentibus, de Samniti agro, Apuloque dividendo factum est; alterum L. Postumio & M. Popillio Consulatum obtinentibus, de Ligustino & Gallico, qui bello captus, vacaret magnam partem. Interim ex longo intervallo turbæ agrariæ redierunt, quæ pacem fere annorum ducentorum

torum perturbarunt, & R.P. florentiſſimam peſſumdederunt. Licinia enim lex de CCCCC. jugeribus, cujus ſupra meminimus, nobilium cupiditate, propemodum obſoleverat; ac plebs pulſa ſuis ſedibus, cum diu muſſitaſſet, nacta poſtremo acrem Trib. pl. cælum omne, terramque permiſcuit. Liciniæ obſoletæ, & nobilitatis libidinoſiſſimæ Cato, Cicero, Livius, & Appianus meminere. Verba Catonis hæc ſunt in Oratione, quam anno DLXXXVI. in Senatu habuit pro Rhodienſibus. *Quid nunc*, inquit, *ecqua tandem lex eſt tam acerba, quæ dicat: Si quis illud facere voluerit, mille numi dimidium familiæ multa eſto. Si quis plus quingenta jugera habere voluerit, tanta pœna eſto. Si quis majorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni eſto. Atqui nos omnes plura habere volumus, & id nobis impune eſt.* Porro Cicero docet in Agrariis, P. Lentulum, principem Senatus per hæc tempora, miſſum in Campaniam ab Senatu, ut privatos agros redimeret publica pecunia, qui agri incurrerent in publicum Campanum. Livius deinde prodidit memoriæ, anno DLXXIX. multis in Senatu diſputatum, quod plerique privatorum, finibus exaratis, ingentem agrorum modum obtinerent; Patribus poſtremo placuiſſe, L. Poſthumium Conſulem, ut agrum publicum a privato terminaret, in Campaniam ire. Denique Appianus, qui memorat, nobilitatem, plebe ejecta, omnes fere Italiæ agros, & publicis occupatis, & pauperum coëmtis, invaſiſſe. In iſtæc igitur cum incidiſ-

 ſet

set tribunatus Tib. Gracchi, hominis eloquentissimi, potentissimique, plebs proloqui liberius, & palam carpere optimatum, & locupletum avaritiam ac superbiam cœpit audacissime. Itaque Tib. Gracchus, ut gratam rem plebi faceret, Liciniam legem de quingentis jugeribus referre non dubitavit; eaque perlata, frustra nobilibus adversantibus. Idque est, quod Cicero indicat in Sextiana: *Tib. Gracchus legem ferebat agrariam; grata res erat populo. Nitebantur contra optimates, quod ea discordiam excitari videbant; & cum locupletes diuturnis possessionibus moverentur, spoliari R.P. propugnatoribus arbitrabantur.* Quo facto iram nobilitatis in se, & odium implacabile concitavit; cunctique ad unum opprimendum consenserunt. Eo itaque una cum Cajo fratre, & Ap. Claudio socero, agris dividundis & assignandis IIIviris creatis, ferocius adnitente, Patricii vehementius commoti, serio de vi inferenda cogitarunt. Hunc igitur operam dantem, ut iterum Tribunus plebis crearetur, obtruncarunt; illoque interfecto, & Appio mortuo, pax rursum, & tranquillitas in R.P. per decennium fuit; quam frater Cajus cum Carbone & Flacco deinde perturbarunt. Sed Cajum Cornelia mater, agrarias molitiones permiscentem, fratris nece, ac familiæ clade objecta oculis, gravi oratione, nequicquam tamen, deterrere conata est. Placet fœminæ eloquentissimæ verba recitare, quæ ad nos usque Nepotis nitidissimis fragmentis salva pervenere. *Dicis*, inquit, *pulchrum esse, inimicos ulcisci.*

cisci. Id neque majus, neque pulchrius cuiquam atque esse mihi videtur: sed si liceat R P. salva eos persequi. Sed quatenus id fieri non potest, multo tempore, multisque partibus inimici nostri non peribunt, atque uti nunc sunt, erunt, potius quam R P. profligetur atque pereat.

Hæc deinde. *Verbis conceptis dejerare ausim, præterquam qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiæ, tantumque laboris, quantum te ob has res mihi tradidisse, quem oportebat omnium eorum, quos antehac habui liberos, partes eorum tolerare atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem; utique quæcumque ageres, ea velles maxime mihi placere; atque uti nefas haberes rerum majorum adversum meam sententiam quidquam facere; præsertim mihi, cui parva pars vitæ superest. Ne id quidem tam breve spatium potest opitulari, quin & mihi adverseris, & R P. profliges. Denique quæ pausa erit? & quando desinet familia nostra insanire? & quando modus ei rei haberi poterit? & quando desinemus & habentes & præbentes, molestiis desistere? & quando perpudescet miscenda atque perturbanda R P.? Sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero, petito tribunatum; post me facito, quod lubebit, cum ego non sentiam. Ubi mortua ero, parentabis mihi, & invocabis deum parentem. In eo tempore non pudet te eorum deûm preces expetere, quos vivos atque præsentes, relictos atque desertos habueris? Ne ille sinat Jupiter, te ea perseverare, nec tibi tantam dementiam venire in animum. Et, si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in*

nullo tempore tute tibi placere possis. Cum dicto matri audire noluisset; adeptusque tribunatum avidius fratris necem ulcisci vellet, ejusque & suas tueri leges, agrariis concitatis, quod Cicero, & Plutarchus tradiderunt, similem vitæ invenit exitum. Necatus enim est cum Flacco una, anno DCXXXII. ab optimatibus. His itaque sublatis, celeriter Tiberii leges, & Caji abrogatæ sunt. Auctor est enim Appianus, lege tribunitia latum esse, ut, quod Tiberii lege vetabatur, liceret agros vendi; adhæc ne agri amplius dividerentur, sed possessores, siquidem de his penderent vectigal P.R., in iis relinquerentur; eaque pecunia plebi divideretur. Quod deinde Sp. Thorio Tribuno plebis displicuit. Itaque rogationem aliam tulit, ne vectigal penderetur; cavitque de pastione pecoris; quod Cicero in Bruto indicat his verbis: *Sp. Thorius agrum publicum, inutili lege, vectigali levavit.* & libro II. de Oratore: *Cum in Senatu ageretur de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent.* Atque hæc lex est Thoria, cujus fragmenta duo, in æs incisa, ampla illa quidem, sed circa adesa, Petrus Bembus, Venetæ R.P. & terræ Italiæ decus immortale, nescio quo facto inventa, posteris conservavit; quæ nunc non sine admiratione Romanorum antiquæ sapientiæ in manibus litteratorum publice versantur. Movere rem agrariam deinde Saturninus, & Sex. Titius, Trib. pl., neque ita multo post L. Philippus, cujus Cice-

Cicero meminit II. Officiorum his verbis: *In primis videndum erit ei, qui R.P. administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice diminutio fiat. Perniciose enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est, & in eo vehementer se moderatum praebuit; sed cum in agendo multa populariter, tum illud male: non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent. Capitalis omnino oratio est; ad aequationem bonorum pertinens; qua peste quae potest esse major?* Deinceps M. Drusus, & L. Sylla; ac, Cicerone consulatum obtinente, P. Servilius Rullus, cujus ea lex fuisse dicitur: *Ut qui agri, quae loca, quae aedificia, aliudve quid, quod publicum P.R. factum esset, L. Sylla, Q. Pompejo Consulibus, id venderetur; item ut omnia venirent, de quibus vendendis S.C. facta erant, M. Tullio & Cn. Cornelio Coss. & ea pecunia agri in Italia emerentur, in quos Coloniae a Decemviris deducerentur; ut Campanus ager & Stellas publicus P.R. divideretur; Capuam Coloni adscriberentur.* Sed ea lex tamen, etsi vehementer popularis, Cicerone acriter dissuadente, summo populi consensu repudiata est. Duae jam sunt reliquae agrariae leges, quarum altera Flavia fuit, cui Cicero restitit, ut apparet ex primo Epistolarum ad T. Pomponium Atticum; altera C. Julii Caesaris Consulis, quam Dio optimam in primis, & utilem R.P. appellavit. Ita enim pro summa hominis sapientia comparata est, ut omnibus consuleret; neminem laederet; &, quod fuit memorabile, remedium invenit, quo deinceps agra-

riae

riæ ſeditiones omnino exſtinguerentur. Cunctis itaque probantibus, eſt perlata. Satis mihi videor oſtendiſſe de nobiliſſimis quibuſque legibus agrariis, quæ agrum definiverunt, qui eſſet dividendus. Nunc paucis, *qui dividerent*. Porro certum eſt, huic muneri ex S. C. certos homines præfuiſſe, qui a numero IIviri, IIIviri aut Treſviri, Vviri, Xviri, XXviri, & univerſe agrarii Curatores, & Auctores diviſionis ſunt appellati. Ac vehementer fallitur Laurembergius, qui libri I. artis gromaticæ cap. III. hos eoſdem putat Agrimenſores nominari; turpiter etiam gloſſa legis III. Codicis titulo finium regundorum, quæ Agrimenſores nuncupat exſecutores. Namque Agrimenſores, ut Willelmus animadvertit, qui grumam profitentur, quique in eam grumam jus reddere conſueverunt, a veteribus ſunt appellati. Hinc illa Ennii apud Nonium: *Gruma dirigere, & degrumare ferro*. Huc lege illa Theodoſium & Valentinianum reſpexiſſe apparet, cujus hæc ſunt verba: *Quoniam qui non fuit profeſſus ſuper hac lege, jubemus damnari; ſi ſine profeſſione judicaverit, capitali ſententia feriatur*. Horum ordo quidam fuit in Civitate, & gravis & ſplendidus, unde prodiere Longinus, Frontinus, Balbus; Cilicius item Saturninus, centurio, & Vectius Ruffinius, primipilus, ac fortaſſe Octavianus Muſca, cujus mentionem facit Servius ad Eclogam IX. Per agrarios igitur Curatores agrorum diviſio fieri conſuevit; quod locis pluribus Livius & Cicero tradiderunt. Porro Cu-

ra

ratores aut a Consulibus creati sunt, aut a Prætore urbano, comitiis tributis, & tribubus universis advocatis. Quare Tullius Rullum aspere reprehendit, quod Xviros suos per XVII. tribus, sorte eductas creasset. *Toties*, inquit, *legibus agrariis Curatores constituti sunt IIIViri, Quinqueviri, Decemviri. Quæso a populari Tribuno plebis ecquando, nisi per XXXV. tribus creati sint?*

Præterea ex eadem Rulli lege, Xviros eosdem pluribus ministris auctos, intelligitur, cum dicat Cicero, tulisse Rullum, ut Xviri, auspicii Coloniarum deducendarum caussa, pullarios haberent eodem jure, quo Tresviri habuerunt Sempronia lege. *Deinde ornat*, inquit, *eos apparitoribus, scribis, librariis, præconibus, architectis, mulis, tabernaculis, supellectili; janitores ex equestri loco ducentos in annos singulos, stipatores corporis constituit*. Reliquum est, ut agrariæ legis tertium articulum, brevi attingam, *quibus divideretur*. Cujus rei facilis erit ratio, & expedita, si duo diligenter attendantur; genus nimirum, & numerus illorum, quibus, jure Coloniæ, atque ex lege agraria, agri divisio facta est. Quod pertinet ad genus, satis constat, agros, aut populo viritim, aut plebi, aut patribus liberorum, aut militibus, vel civibus, vel Latini nominis sociis, divisos esse; id quod apparet ex his, quæ Livius, Hyginus, & Pædianus in commentario Pisonianæ, tradiderunt. Illud de genere arbitror potissimum animadvertendum, in agro dividendo, ac limitando, tribuum ordinem veteres ser-

servasse; nempe ut ab urbanis ordine exorsi, rusticas deinde persequerentur. Quod cum Rullus in animo haberet, ut immutaret, occasionem dedit Ciceroni ejusdem reprehendendi. *Quæsivi*, inquit, *in concione ex eo Kal. Januariis, quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum esset distributurus; respondit, a Romilia tribu se initium esse facturum. Primum quæ est ista superbia, & contumelia, ut populi pars amputetur; ordo tribuum negligatur; ante rusticis detur ager, qui habent, quam urbanis, quibus ista agri spes & jucunditas ostenditur.* Hi porro qui agri cupiditate tenebantur, nomina in Coloniam dabant; quod docet Livius lib. I. his verbis: *Plures inventi, qui propter ubertatem agri in Crustuminum nomina darent.* & lib. III. *Jussi nomina*, inquit, *dare, qui agrum accipere vellent.* quem morem P.R. respiciens Virgilius, hæc dixit in V.

Transcribunt urbi matres, populumque volentem.

Quod vero ad numerum spectat, certum est, eum lege fuisse præfinitum. Verba Livii id ostendunt: *Senatus censuit, Coloniam Lavicos deducendam. Coloni ab Urbe mille & quingenti missi; bina jugera acceperunt.* Nempe Colonorum numerus ad agri limitandi modum & amplitudinem comparabatur, in quem deducerentur. quo factum est, ut modo terna, quina modo, aut septena millia hominum, aut etiam amplius, minusve scriberentur. Quo in genere Rullum quoque Cicero redarguit, cum dixit: *Tu non definias, quot Colonias, in quæ loca, quo numero Colonorum deduci velis?* Ac si plures, vel pauciores,

quam

quam esset lege agraria definitum, nomina professi essent in Coloniam, tum ad sortem confugiebatur, ut ex omnibus sorte educerentur, qui agro accepto exirent. Quod Plutarchus & Dionysius animadverterunt. Ex his igitur apparet, Colonorum numerum ita ad agrum limitatum, aut limitandum institutum, ut cum illo consentiret, ex Coloniæ jure, atque ex lege agraria; de quibus extremis duobus cum dictum sit, superest, ut disceptem de agro limitato.

Ac primum quidem ager limitatus is appellatur, qui limitibus divisus ac distinctus est. Ea res multis magnisque animadversionibus continetur, ut ex agrariis libris intelligitur Flacci Siculi, veteris J. C., Julii Frontini, Aggeni Urbici, Simplicii, Hygini, Innocentii, Baronis, Latini, Mysrontii, aliorumque, qui de re agraria conscripsere; ex quibus non illa omnia sumsi, quæ aut ab illis dicta sunt de agro limitato, aut dici possunt, sed ea dumtaxat, quæ faciunt ad rem præsentem, &, quod diligentissime velim attendatis, ad locos plures Juris Civilis illustrandos. Porro limitum & agrorum, unde ager dictus est limitatus, plura genera fuere. Limitum nomina hæc sunt: Orientalis, Septemtrionalis, maximus, actuarius, intercisivus, quintanus, cultellatus, nonanus, maritimus, gallicus, temporalis, regalis, subruncivus, linearis, sextaneus, tessellatus, diagonalis, montanus, austrinalis, præfecturalis, undecimanus, colonicus, passivus, hypotenussalis, duodecimanus, egre-

gius, solitarius, perpetuus, limes denique qui antica, & postica dividit. Placet itidem agrorum genera recitare, ut ordine omnia tradantur. Nomina hæc sunt: assignatus, centuriatus, subcisivus, dextratus, sinistratus, citratus, ultratus, tetragonus, tessellatus, cultellatus, normalis, epipedonicus, triumviralis, solitarius Syllanus, Neronianus podismatus, Cæsarianus adsignatus, jugarius in quinquagenis jugeribus, meridianus in XXV. jugeribus, commutatus ex beneficio Augusti. Neque vero hæc nomina temere a veteribus inventa; sed jam educta partem magnam ex spatiis geometrarum cultissimi Agrimensores limitibus Romanis accommodarunt; indeque didicerunt, regiones in loca, loca in territoria, territoria in agros, agros in centurias, centurias in jugera, jugera in climata, climata in actus, actus in perticas, perticas in passus, passus in gradus, gradus in cubitos, cubitos in pedes, pedes in palmos, palmos in uncias, uncias postremo in digitos dividere. Inde etiam, non modo limitum genera tot, agrique limitati, sed terminorum voces propemodum infinitæ, diis sacræ Terminalibus, Augustæi, Cilicii, testacei, saxei, plumbacei, molares, albi, scutanei, tornatiles, cubi, tutulati, reprobi, aut reproba facie, obtuso angulo, alii, quos longum esset enumerare. Hinc Vitalis & Arcadii verba illa: *Terminus reprobus in fine ponitur: in fine autem reprobum non posuimus. Nam obtuso angulo posuimus in trifinio, non reproba acie.* Huc Lucre-

tium

tium lib. IV. de Rerum Natura respexisse apparet. Sic enim inquit:

Quadratasque procul turres cum cernimus urbis,
Propterea fit, uti videantur sæpe rotundæ,
Angulus obtusus longe quia cernitur omnis.

Fuit enim veteribus Poetis; Poetis autem? imo vero omni scriptorum generi, cum libris Juris Civilis, iisque voluminibus, quæ de agro erant limitato, perpetuum, idemque splendidissimum commercium. Eo pertinent leges tot inclytæ Sempronia, Cornelia, Julia, Peducea, Flavia. Eo Alliena, cujus verba hæc sunt: *Qui limites decumani hac lege deducti erunt; quæcumque fossæ in eo agro erunt; qui ager hac lege datus, assignatus erit, ne quis eos limites decumanos obsepito.* Eo denique lex Mamilia, quam C. tulit Mamilius Trib. pl. bello Jugurthino, unde dictus est Limitanus. De qua lege Aggenus multa, aliqua etiam Cicero lib. I. de Legibus. *Ex hac autem*, inquit, *non rerum, sed verborum discordia, controversia nata est de finibus, in qua, quoniam usucapionem XII. tabulæ inter quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiæ ab hoc acuto homine non sinemus; nec Mamilia lege singuli, sed ex XII. tres arbitri fines regemus.* Recte igitur Livius modum jugerum, agrique limitati indicat, cum de Satrico hæc habet: *Duo millia deducta; bina jugera, & semisses agri assignati.* Ac si genera & natura limitum & agrorum tantam eruditionis, ac doctrinarum supellectilem requirunt, quantam hactenus exposui; qualitates, ut Urbicus appellat,

non minorem postulant. Mittam reliquas; unam dumtaxat in medium afferam. Ea agri divisi & assignati est. Hanc Frontinus docet, conditionibus duabus esse præditam; unam, qua plerumque limitibus contineatur; alteram, qua per proximos possessionum rigores assignatus sit. Ii sunt limites, quos antea commemoravi, decumani, cardines, prorsi etiam, & transversi. Porro per rigores agri limitantur, aut per strigas, unde strigatus ager, aut per scamna, unde scamnatus. Hæc summis sunt implicita difficultatibus; quas non expediverunt, sed adauxerunt, qui omnem assignationem fieri docuere aut in jugeribus, aut in laciniis & strigis, aut in præcisuris, aut in centuriis, aut denique in nominibus. Itaque mirum non est, si plurimi cæcutiunt ad illud Lucilii:


Illi præciso atque epulis capiuntur opimis.

Si plurimi ex nostris ad locum Caji J.C. in l. XXX. ff. titulo de verborum significatione. Verba Caji hæc sunt: *Novalis est terra præcisa, quæ anno cessavit.* Quo in loco bis fœde erratum est, primum vitio scripturæ; deinde interpretum. Scriptura integra hæc est: *Novalis est terra præcisa; quæque anno cessavit.* Interpretes, cum ex agrariis libris ignorarent præcisuras, unam dumtaxat rem a Cajo designari existimarunt, cum duas indicarit, nempe præcisam terram, seu præcisuram, quæ nihil est aliud, quam lacinia quædam ex silvestri agro, incultoque pinguis & opima, & idonea ad excolendum, & terram illam, quæ anno

no interquievit. Quæ res occasionem dedit Pontifici in capite *Quid per novale* extra *de Verborum significatione*, ut palam fateretur, quid præcisa terra intelligi oporteret, se nescire. Virtus igitur, industria, prudentia veterum Jurisconsultorum vehementer laudanda, qui agrorum commentarios in ditione sua perpetuo habuerunt; eosque ad Juris Civilis scientiam cum summa utilitate traduxerunt. Hinc jus effluxit prædiatorium, jura rusticorum & urbanorum prædiorum, finium regundorum tituli, plura capita legum decemviralium, plura denique rescripta Imperatorum. Quæ cum ignorarent, qui ad leges singulas glossas concinnarunt, nolite quærere, quæ monstra opinionum pepererint. Atque hoc illud est, quod Sichardus in Epistola ad Ferdinandum Hungariæ Regem, quæ præposita est Codici Theodosiano, vehementer queritur. *Julium Frontinum*, inquit, *de qualitate agrorum, & limitum controversiis cum Aggeno Urbico adnexuimus, ut simul haberentur, quæ reliqui nobis tot clades, atque redivivi quidam Gothæ fecere, non tam hominibus, quam ipsis studiis exitiales*. Sed hæc hactenus de agro limitato. Puto ex his satis intelligi, agri limitati rationes nullo modo cognosci potuisse, nisi illæ ad Coloniarum jura, & agrarias leges transferrentur, satisque ex his constare, teneri Jus Civile, aut tradi sine præsidiis artium optimarum nequaquam posse. Nunc ego vos rogo, atque obsecro, studiosi Adolescentes, ut, qui Juris Civilis studiis operam datis, recte id atque ordine facia-

ciatis; ut bonos Interpretes dumtaxat in manus ſumatis, qui XIV. XV. & XVI. ſeculo floruerunt, Italos externoſque; ut in legibus ipſis cognoſcendis multam operam locetis; quæ via eſt una omnium expeditiſſima; ad quam Muretum, Manutium, Aonium Palearium, quibus nemo umquam propius acceſſit ad gloriam Tullianam, veterumque ſapientiam, juvenes cohortari ſolitos accepimus; ut denique eos imitemini, legum optimos Magiſtros, qui Jus tradunt in hac ipſa Academia, ex hoc ipſo præſertim loco, cæterorum principe, quo in loco ſuperioribus annis, veluti fax quædam, publice propoſita, omnium bono, omnibus præluxit, PETRUS DE AMATIS, flos, decus, ſplendor Patavinæ nobilitatis, cujus ſine multis lacrimis reminiſci non poſſumus. Senex optimus & venerabilis. Cui neque virtus ulla defuit, ut illa ageret, quæ recta, quæque honeſta eſſent; nec litteræ, ut intelligeret. Summa in illo comitas, facilitas, humanitas; ſumma diligentia. Ejus benignitatis vir, ut illa ſibi crebro adimeret, quibus alteri opitularetur. Jus caſte traditum, religioſe etiam redditum. Quem cives externique ſemper ſuſpexerunt. Lumen Patavinæ urbis inclytum, unde ſæpe lumina clariſſima omnium diſciplinarum effulſere. Quem tamdiu Civitas, & Academia deſiderabit, quamdiu Civitas, & Academia erit.

D I X I.



PATAVII. CIↃIↃCCXXXI.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

ANTONII ARRIGHII

ORATIO

DE

AGRO LIMITATO,

HABITA ANNO MDCCXXX.

III. CAL. DECEMBR.

IN GYMNASIO PATAVINO,

Cum ad Jus Civile e Sede principe Publice profitendum aggrederetur.



PATAVII. CIↃIↃCCXXXI.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS
Superiorum Permissu.

ANTONIUS ARRIGHIUS
CAROLO RUZZINO,
EQUITI, ÆDISQUE
DIVI MARCI PROCURATORI
S. P. D.



ULTA *me dies noctesque de præstanti virtute tua cogitantem*, CAROLE RUZZINE, *deque iis rebus, quas domi & foris præclarissime gessisti, pudor quidam identidem commonuit, turpe esse, in tanta Civitatis, gentiumque omnium commendatione, unum me, cæteris dicentibus, silere, quem potissimum beneficiorum numero ac magnitudine antea exornasses. Sed*

profecto id mihi obtigit, laudum tuarum homini cupidissimo, quod iis, quos nimia quædam lux oppressit, Solem medium & exsplendescentem intuentes, ut tum maxime nil perspiciant, cum cernere ac perspicere maxime conantur. Nempe rerum splendor ac majestas, quæ te in Theatro Orbis terræ agentem, altum atque excelsum, & majore quadam fecit gloriæ vi illustriorem, facile deterruit, & tamquam oculorum aciei propemodum subduxit. Ita factum est, ut tu quidem præconio exili virtutis tuæ, factorumque egregie hactenus carueris, ego angore non caruerim, atque ingenti quadam molestia animi. Qui enim umquam carere possim, oblata recordatione earum rerum, quæ quasi morsu quodam dolorem efficiunt; nempe admonent imbecillitatis; quod auctus & honestatus summis beneficiis a Proceribus RUZZINIS, *nil proloqui, nil agere, nil quicquam gratiæ referre sciam, aut possim? Hæret mihi animo, semperque hærebit* DOMINICI RUZZINI, *fratris tui filii, inclyta memoria; Urbisque Patavinæ splendidissima Prætura, honesta illi, Patavinis salutaris, mihi memorabilis; quo tempore, cum atræ illæ nebulæ ortæ essent, ac procella atrox in me unum desæviret, quæ jam non fuit hominis fortissimi opera, industria, diligentia, ut sævæ tempestati me eriperet? ut nequissimas calumnias ac tenebras difflaret? Ut pax, ut otium, ut denique lux illa iterum rediret, quam mihi fata mea; quid enim dicam? propemodum abstulerant. Inde ex illo genere divina illius fuit animi constantia, qua me tibi, Viro Principi, in petitione honoris; qua me cæteris Venetæ Civitatis Viris summis, honesta suffragatione, commendavit; qua denique & re salva & perdita semper profuit, & semper prodest pro re nata. Hæc, si ulla est, vera virtus est, eaque nobilitas, quæ, ut boni prædicant, id commune cum diis habet, ut secundis quantumvis rebus, neque cæcutiat, neque tumescat;*

mescat;

mescat; ut parta illa sit in magnis Civitatibus hominum indigentium, litterarum ac litteratorum commodo, qui invidia, & contumelia, fortunæque iniquitate identidem vexantur. Tu deinde, Amplissime Senator, consecutus es, qui cœptum opus altissime proveheres; provecto fastigium imponeres; atque, ut nil deesset, tamquam peristromate adornares. Te enim Auspice atque auctore Sella altera Juris Pontificii superioribus annis mihi obtigit in Academia; post deinde Sella princeps Civilis Juris, ingenti quadam significatione honoris. Quo facto omnia mihi ampla ac splendida contigisse visa sunt; delatoque munere, mare quidem ingredi, quod ratio profitendi ipsa poscit, sed natura sua immobile ac tranquillum, perito præsertim nautæ. Sed venti & auræ deinceps concitarunt. quæ tum non fuit constantia tua ac robur animi, ut, veluti in salo medio hominem jactatum arriperes, teneres, in portum optatissimum traduceres? sustentares spe? verbis solarere? denique (quæ illorum ratio esse solet, qui clementia ac benignitate accedunt proxime ad deos immortales) novis beneficiis vetera augendo, fortunam, ac dignitatem meam augeres, & confirmares? Ac si verum est, quod Plato tradit, eo majus esse beneficium, quo is est major, qui benefecit, certe ea res majorem fecit mihi benignitatem tuam. Ea enim decora te circumstant, quæ hominem efficiunt beatum ac florentem in Republica florentissima. Circumstat Familiæ splendor ac nobilitas; virorum auctoritates, qui adhærent lateri; potestates summæ ad te delatæ; dictæque & obitæ legationes splendidissimæ; quæ si minus verbis ornare possum, narrare possum ratione aliqua. Natus Patre magno, majore Avo, maximis Majoribus, qui belli pacisque artibus difficillimis temporibus Patriæ profuerunt. MARCUM inspice, fratris filium, admirabili quadam, ac præpollenti eloquentiæ vi, in Curia præfulgentem;

qui

qui nactus cito vestigia tua, artesque adeptus, quibus ipse inclaruisti, in conspectu Civium, ante ora Patrum sic versatur, ut agendo, dicendoque tonare, fulgurare, permiscere mentes omnium videatur. Hinc honores crebri, atque magistratus homini delati, magni antea, nuper maximus, ut, te adhuc Sexviro Senatui regundo, esset Sexvir; tacitisque Civium sententiis eximia ac summa omnia in loco destinantur. Inspice DOMINICUM, *cujus ego nomine ipso recreor, & frequenti usurpatione; in cujus oculis, cujusque vultu jamdiu acquiesco. qui te complexus, Magistrum summum regendæ Civitatis, virtutumque illarum, quibus homines hominibus admirationi sunt, ita adhuc dignitates tenuit, ut pietas, ut religio, ut prudentia, ut justitia spirare in illo videantur. Illustres prospice adolescentulos,* MARCI *filios, veluti e summa specula; de quibus boni omnes sic confidunt, ex ea, quæ jam fulget indoles virtutis, fore ut lux eadem domi, atque in Civitate niteat aliquando, maxima, ut decet maximam. Mitto reliquos, ut modum faciam, quorum est copia ingens,* RUZZINA *Gente digna. Non mittam* ALOYSIUM, *Episcopum Bergomatium, fratrem tuum, hominem sanctissimum, quem amisimus superioribus annis. Hunc, si dixero, Senator Amplissime, fuisse Familiæ tuæ decori & ornamento; si Patriæ clarissimæ, nobilissimæque, in qua altus eductusque est ad insignem pietatem; si Italiam addidero, litterarum ac religionis domicilium, minus profecto dicam, quam omnino debeam. Ecclesia illum sibi vendicat jure suo: dignumque habet, quem cæteris mortalibus ostentet; quem gavisa sit, temporibus hisce perditissimis, singulari quadam Dei bonitate sibi oblatum, quem præficeret; quem in urbe illa ornatissima collocaret, veluti perfecti Episcopi exemplar quoddam, signumque pietatis & religionis, quod cuncti intuerentur. famaque & opinione earum rerum omnes, qui bene sen-*

tiunt

tiunt, in cælum sustulere. Hæc tibi, CAROLE RUZZINE, *domus obtigit, virorum feracissima, quam tuis ipse virtutibus illatis & honoribus, cum esset nobilissima, nobiliorem effecisti. Tibi namque initio urbani Magistratus traditi adolescenti; tibi deinde viro, annaria lege, fuere hominibus documento, quì capi illos, quìque geri oporteat; ita virtus omnis in optima perfunctione Civibus enituit, fides, constantia, magnitudo animi, denique prudentia, virtutum caput reliquarum, qua retrahimur ad justitiæ ac naturæ fines, ibique perpetuo continemur. Hinc factum est, ut domi cognita vis ingenii, industriæque tuæ, rerum externarum oblata perturbatione, continuo ad te Curia, ad te Civitas, ad te Italia tota oculos converterit; teque unum omnium dignissimum existimarit, quem in tristi tempestate præsidem deligeret ac retineret; cujus consiliis, atque sapientia, Mæandri ac Syrtes rerum molestissimarum expedirentur. Tu bis Byzantium legatus ad Turcarum regem missus, fregisti barbaros patientia tua; prudentia devicisti; splendore vitæ ac virtutum præclarissimarum in tui admirationem pertraxisti. Missus Carolostadium, mox Passarovitium, denique Hagam Comitum ad Nationum omnium ex omni memoria nobilissimos conventus, pacis componendæ, Patriæ inclytæ, cui Thraces sævi ac superbissimi minitabantur, præsidio fuisti, & ornamento; atque, ut dicam paucis, eo rem tu lætam, aut fessam adduxisti, ut aut leges dares; aut certe ne acciperes. Itaque te Asia talem novit, qualem novit Europa; noruntque & prædicarunt potentissimi Europæ Principes, ad quos Venetæ Reipublicæ majestatem, lumenque animi atque ingenii tui, legationibus magnificentissime obeundis apud Cæsarem; apud Carolum; denique Philippum Hispanorum reges late circumtulisti; idque tibi dedere virtutes tuæ, ac Civitatis tempora, quod nulla fortasse vidit superior ætas, ut non semel, non*

bis,

bis, non ter, quod plerisque contigit, sed octies, inusitato exemplo, legareris. Jure hoc igitur boni omnes de te prædicant; te Patrem, te Decus Gentis Venetæ appellant, lucemque & memoriam omnium sæculorum; factumque ajunt felicitate quadam literarum & Academiæ Patavinæ, ut ea procuratio ac tutela tibi traderetur; qua, te agente, optimi, doctissimi, ac prudentissimi quique lecti sunt; ornati, & aucti & ære & præmiis non exiguis; gravique objecta tempestate, fortissime defensi. Is tu mihi vir, munere fortunæ, quam nihil aliud esse puto, quam Dei præpotentis vim & nutum, obtigisti, a quo ornarer; cui porro nullam gratiam (quod incredibili quodam dolore animi, ac prope flens dico) referre possim. Sum ego sane hoc nomine, ut multis aliis, miser. sed si novi eximiam ac præstantem bonitatem tuam, ut certe novi, vel nihil quicquam a me requiris; vel contentus eris munusculo levidensi, ea nempe oratiuncula quam superiore anno habui, cum sedem principem inirem Juris Civilis; in qua nihil omnino præstans est, nihil dignum, præter nomen tuum. Hanc ad te mitto, ut, si forte probes, id fiat judicio tuo, ut recte agrarios libros, & omnem eruditionem Interpreti Juris Civilis commendarim. Tu diu vive in hac tua profecto viridi senectute & Reipublicæ, & tuo, & meo etiam, si dicere hoc licet, bono; quam senectutem, *utar hoc loco verbis ac sententia gravissima hominis illius sapientis*, citius infantiam æternitatis dixerim, vitæque initium immortalis, quam exitum mortalis. *Vale*.

Patavio. Idibus ipsis Juniis MDCCXXXI.

DE



D E
ECCLESIIS SUBURBICARIIS
O R A T I O.



Um ſuperioribus menſibus, ſtudiorum meorum cauſſa, libros rerum legerem, nuper editos, quæ res Venetis, Patrum Majorumque noſtrorum memoria, pace belloque contigiſſent, ita ſum animo affectus, ut vix, aut ne vix quidem his annis æque meminerim. Ea enim ſpecies humanitatis ac ſapientiæ inde ex illo corpore mihi oblata eſt, ut felicitas ingenii Italici, & admiratio facile in mentem venerit. Caſta ac ſancta dictio; ſummus ſententiarum ſplendor; res fuco nullo illitæ, mirabilique quodam nexu inter ſe aptæ & colligatæ; Latinæ orationis fulgor, & forma inclyta, prodita temporibus beatiſſimis; inceſſus

ac majeſtas Patrum Venetorum majeſtate digna; artes denique omnes bonæ a bonis repetitæ. Quo ingenii robore, qua luce ſapientiæ, boni ſuperi, cum Patribus, cum militibus, cum ducibus copiarum, cum hoſtibus ſæviſſimis, agentem mihi reddere viſus eſt, Ducum Principem, FRANCISCUM MAUROCENUM, omnium, quotquot urbs, ætaſve ulla umquam tulit, rei militaris prudentiſſimum! Quo vultu, quibus oculis, qua rerum agendarum eximia prudentia Cornelios, Corrarios, Ruzzinos, Fuſcarenos, Senatores cæteros; in Foro, in Curia, in Roſtris agitantes! Qua arte, quibus præſidiis ac luminibus dicendi, Duces, Imperatoreſque, ac Tribunos militum, callidos, cunctantes, fortes, vehementes, plenos animi, ac vocibus ſonantes! Qua ſolertia denique ac ſagacitate res obſcuras illuſtrare, cauſſas perſequi; pandere conſilia ac reſerare! Ut non ego ſolum, cujus fortaſſe minimum eſt judicium, ſed boni omnes ſic exiſtiment, habere noſtra hæc tempora perditiſſima, quæ ſuperioribus florentiſſimis opponant; poſteris relinquant exempla ad imitandum. R P. Venetorum præclariſſimam, quo niteat in oculis omnium gentium, ad hominum memoriam ſempiternam; noſtram hanc denique Academiam, quo populis ac nationibus in dies magis nobilitetur. Hæc ſi vera ſunt, cumque loci hujus, civiumque laudibus conjuncta, vobis gratiora fore arbitror; eaque fortaſſe temperabunt, quæ animo turbatiore de ſcriptore nobiliſſimo neceſſe eſt, commemorari, qui nuper,

quæ

quæ Neapolitanis domi ac foris evenere, prodidit memoriæ. Hunc ego alterum hoc genere esse video, quem terra Italia natum his annis, atque eductum viri eruditissimi glorientur. Altum, magnificum, splendidum, gravem, via eleganterque memorantem; sed quem tamen animus iratus in Pontifices, odium, simultas transversum agant. Hausta opinionum monstra ex gurgitibus lutulentis, contra ac decuit eum hominem quem aër, quem tellus undique seposita ab alpium turbinibus ad optimam religionem aluisset. Alii alia animadverterunt, ac notarunt; ego quæ non satis ab illo excocta de Ecclesiis Suburbicariis. Ea me res ad Synodum Nicænam revocavit, atque ejus Synodi eum locum, quem Socrates Canonem Ecclesiasticum; Sozomenus Legem Sacerdotalem appellarunt. Sic mihi videor in proposito ac provincia manere legum tradendarum, quam hoc anno Rei Litterariæ Amplissimi IIIviri secundum detulerunt; sicque exemplum, ac bonorum institutum retinere, qui antequam leges interpretarentur, earumque vim, quas Pontifices tulere, de vertice ac fastigio legum earumdem, hoc est, de Pontificibus & illorum potestate, contra obtrectatores non pauca disputarunt. Utinam hæc tempora, quibus boni omnes, aut in religionem ac veterem pietatem, aut in Pontifices, eorumque jura, nulla meminere atrociora, nihil postularent istiusmodi contentiones; liceretque nobis, in magno Ecclesiæ otio, ac data cun-

ctis rude, ab opere abstinere; vel ad animi solatium, cum liberet, tamquam præpilatis, ad pugnam exerceri. Quæ quando optari posse, neutiquam sperari, ut nunc sunt res, prorsus intellexi, collegi ipse me, ac fontes ipsos adii, laboresque expendi hominum gravissimorum. Ea mihi, cum superioribus diebus diligenter perscrutarer, eum motum attulere, ut hominum insaniam obluctantium ac duritiem animorum, vehementer lacrimarim. Tanta enim vis ac rerum auctoritas his inesse visa est, non dico mihi solum, homini doctrinæ ingeniique exigui, sed his qui una aderant, viris sapientissimis, ut omnino existimarim, cœci esse hominis, præfractique, non dare manus victas. Sed, ut arbitror, hæc siquando ad hos sunt perventura, qui nobis adversantur, præ rabie ac libidine, nequaquam dabunt. Negligent fortasse, vel aspernabuntur, ut ea voluptate perfruantur, quam putant maximam, ut Pontificibus eorumque legibus maledicant; utque eam potestatem atque principatum, quem superi hominesque jamdiu concessere; viri item summi sævis tempestatibus sæpius vindicarunt, lacerent multimodis, ac nova quadam arte convellere conentur. Sed lacerent, convellant, quantum volunt; palantesque ac dissipati in insulis & urbibus, obtrectent Pontificibus; livore, ocio, opum ac divitiarum vi in illorum contumeliam abundantiores. Ego partes meas, qualescumque erunt, nunc tuebor. Et, quod video expeti ab optimis quibusque, ut sine

atro-

atrocitate ulla orationis res commemorentur; loci interpretationem ſic defendam, ut iſtis ſannionibus diſſimilis, nulla objectem crimina; nulla ipſis probra ultro referam, quæ cupiditas, omnium malorum altrix, alere conſuevit. Utinam aliqua utilitas ex labore meo Eccleſiæ oriatur; & quod vehementer cupio, his ipſis, quos interdum pluribus videbor reprehendere.

Age igitur ad rem aggrediamur. Atque, ut vis Nicæni loci facile eruatur, rerum ſeriem, unde ea vis nexa quodammodo, aptaque videtur, arbitror initio proferendam. Apoſtoli itaque principio Eccleſiam condendam ac dilatandam ſuſceperunt. Porro illa condita, ac dilatata ut commode adminiſtraretur, ordine ac diſpoſitione opus illis fuit. Cumque ingentis operis initia in Romano orbe ponerentur, ita egerunt, ut illius regimen ei regimini accommodarent, quod in procurando imperio Romani tenuiſſent. Ab his omnis ditio in provincias diſtributa; provinciæ in urbes atque municipia. Eo miſſi a P. R. juſti magiſtratus, Proconſules, Prætores, Præſides, qui jus redderent, & civitates optimis inſtitutis ac legibus temperarent. Creati exemplo R. P. ſapientiſſime ab Apoſtolis Epiſcopi; modoque ac ratione miſſi in urbes & provincias, ut Eccleſiis præeſſent; ita hæc tamen, ut qui provinciarum urbes principes, Prætorumque ſedes, & Proconſulum obtinerent, ſplendidiori majorique quadam poteſtate cæteris Epiſcopis antiſtarent; atque in rebus decernendis,

tam-

tamquam principes Senatus, omine prærogativo primam dicerent sententiam. Iique ipsi sunt, quos Nicæna Synodus Metropolitanos; tempora deinceps consecuta Archiepiscopos appellarunt. Inde factum est, ut, cum de rebus ad religionem, & Ecclesiæ disciplinam pertinentibus, epistolæ ab Apostolis darentur, mitti ab his ad urbes principes consueverint, in quibus Ecclesiæ illæ essent, quas Metropolitani administrarent. Hinc litteræ illæ Divi Paulli ad Ephesios, ad Corinthios, ad Thessalonicenses, quod Ephesi, quæ Asiæ princeps urbs fuit, & Proconsulum Romanorum sedes; quod Corinthi, quæ Achajæ; quod Thessalonicæ, quæ Macedoniæ, Ecclesiæ eæ forent in quibus Antistites amplissimi, nempe Metropolitani, religionem procurarent. Inde ad Titum etiam Paulli epistola, cum Gortynæ esset, ut provinciam Cretam, Episcopis creandis, ordinaret. Atque hæc ipsa caussa est, cur Petrus, cum Hellenistis Christianam disciplinam tradi vellet, qui erant Oriente atque Ægypto dispalati, Alexandriam, quæ hujus caput; inde porro proficiscens, Antiochiam, quæ illius, venerit; inde autem Babylonem, quod urbem illam principem Hellenistarum, hoc est Judæorum Patriarcha incoleret; quo loco prima ejus epistola Canonica data est, ut ex his verbis intelligitur, quæ litteris extremis perleguntur: *Salutat vos Ecclesia quæ est Babylone*. Quem locum Scaliger rectissime non de urbe Roma, quod alii docuerunt, sed de Babylone ipsa accipiendum pu-

putat. Cur Paullus etiam, ut crebrius de eo mentionem faciamus, cum Asiæ proconsulari, de qua supra demonstratum est, quæ ad Populum Romanum Attali, regis Pergameni, tabulis pervenit, abdita mysteria reserari cuperet, Ephesi docens ipse, ejus rei ludum quodammodo aperuerit; quod multis verbis conqueritur Demetrius in Actis. Hæc Tertullianum, virum sapientissimum, non latuerunt, qui de hac ipsa re disceptans, deque traditionibus, quæ incorruptæ his Ecclesiis servarentur, ad quas Apostolorum monumenta pervenissent, in libro de præscriptionibus adversus hæreticos hæc habet cap. XXXVI. *Proxima est tibi Achaja? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos; habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est*. Ejus etiam rei meminit Isidorus Mercator in ficta ac pudenda illa Epistolarum collectione, quæ tot secula atque ætates generi mortalium illusit; quamque nos annis superioribus, firmissimis argumentis ac rationibus conquisitis, omnino explosimus; meminit Gratianus in Decreto distinct. LXXX. & XCIX. Johannes item VIII. Epistola XCV. Leo IX. Epist. IV. Gregorius VII. lib. VI. Epist. XXXV. Neque vero hoc temere fecere Apostoli, ut in Ecclesia moderanda R. P. Romanæ temperationem sequerentur, & Ecclesiis, quæ in urbibus principibus Provinciarum ornarentur, cum summa potestate eos præficerent, quos Metropolitanos, & Archiepiscopos

pos

pos appellamus. Alii caussas alias commemorarunt. Ego hac una maxime contentus sum, quam invenio Can. IX. Synodi Antiochenæ. Verba hæc sunt: *Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt*. Nempe Apostolos id animadvertisse, hominum ingentem multitudinem, negotiorum rerumque suarum caussa, ad Prætorum sedes atque domicilia, urbes nempe principes Provinciarum, confluere consuevisse. Eo igitur aut venisse ipsos; aut præcellenti quadam potestate ac doctrina auctos Episcopos misisse, ut temporis compendio eam multitudinem, misere cæcutientem, ad legum lucem sanctissimarum felicissime traducerent. Sed quod fit fere in rebus humanis, ut cœpta ab aliis, aliorum opera atque industria subinde augescant; crebro etiam induant formas novas & ampliores; moribus & consensu Episcoporum id contigit, ut ex Provinciis Ecclesiasticis quædam cernerentur, quæ cæteris majestate & amplitudine antecellerent ac imperitarent; Roma nempe Italiæ, totiusque orbis domina; Alexandria Ægypti; Antiochia item sedes Orientis; quam rem Chrysostomus Oratione XXXII. & Josephus belli Judaici lib. III. cap. III. memoriæ prodiderunt. Eaque, quam dixi, inducta consuetudine, ac moribus retenta diu, Synodus Nicæna, lege edita, Canone nempe sexto, amplissimis suffragiis firmavit probavitque; eademque Præsules, qui Ecclesias illas obtinerent, & Episcopos & Metropoli-

politanos appellavit; quos deinde Synodus Ephesina Archiepiscopos; Synodus Constantinopolitana, Provinciis cumulatis, Exarchos Diœceseon; Chalcedonensis denique & Archiepiscopos, & Exarchos, & Patriarchas nominavit. Sed ne quis existimet, lege & more rem Ecclesiasticam ea ratione fuisse dispertitam temporibus antiquissimis, quasi duces tres essent Religionis, potestate pari imperioque præditi; nec unus esset aliquis, cui cæteri subjicerentur. Neque enim vel Præsulum consensio antiquissimorum, vel Patrum Nicænorum suffragatio aut voluit, aut potuit, eam tollere regiminis unitatem, quam Christus imperarat; nec scita humana tollere divina. Igitur hoc fuit Apostolorum institutum ac disciplina, ut Episcopi Metropolitanis dicto audirent; porro ætatum consequentium usus & comparatio, ut Patriarchis Metropolitani; denique ex Patriarchis tres quidam haberentur, omnium nobilissimi; ita tamen, ut ex illis unus, Pontifex scilicet Romanus, divino jure & his & cæteris omnibus præesset, & principatum obtineret. Illustre est testimonium in hanc rem Leonis Pontificis sanctissimi Epistola LXXXVIII. *Inter beatissimos Apostolos*, inquit, *in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præmineret. De qua forma Episcoporum etiam orta est distinctio; & magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima*

C *sen-*

ſententia; & rurſus quidam, in majoribus urbibus conſtituti, ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad beatam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura confluerct. Hic vir eruditiſſimus dicam impingit grandem de Eccleſiis Suburbicariis. Vocat in jus conſertum manum. Sic contendit, Conſtantini ævo, ante etiam, poſtque ad Valentinianum Imperatorem, tertium hujus nominis, ſuburbicariis locis Præfecti urbi poteſtatem fuiſſe definitam; locorum eorumdem Eccleſiis Suburbicariis Epiſcopi Romani. Jam Canone Nicæno factam contentionem trium poteſtatum, ut quæ Romani Epiſcopi ex vetere conſuetudine poteſtas foret in Eccleſiis Suburbicariis, eadem Alexandrini eſſet Ægypto tota, Libya, ac Pentapoli; eademque Antiocheni per omnem Orientem. Artibus deinceps & cupiditate ac rebus permiſcendis Pontifices Romanos ſuam extuliſſe atque exaggeraſſe, cæterorum comminuiſſe. Quæ fuere prœlia, & graves turbæ inter viros ſapientiſſimos de hac re, Baronium, Perronium, Bellarminum, Marcam, Launojum, Dupinum, Sirmondum, Salmaſium, Blondellum, Gotthofredum, alios etiam, quos nunc inutile omnino eſt percenſere, ex integro eas ciet. Caute confligendum eſt, Auditores. Res agitur graviſſima, cujus omnis vis manat ex ſententia, rectaque interpretatione Canonis Nicæni, ſexti ſcilicet, quem uſque invocant, atque appellant, qui Pontificibus adverſantur. Principio igitur tabula ipſa in medium afferatur, ac recitetur, Græce Latineque, ut via

omnis

omnis ad fraudem intercludatur. Verba itaque Canonis Græca hæc ſunt:

ϛʹ.

Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴτις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον· ἐὰν μέντοι τῇ κοινῇ πάντων ψήφῳ εὐλόγῳ οὔσῃ, καὶ κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικὸν, δύο ἢ τρεῖς δι' οἰκείαν φιλονεικίαν ἀντιλέγωσι, κρατείτω ἡ τῶν πλειόνων ψῆφος.

Hunc locum ſic Latine vertit Gentianus Hervetus. *Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter & in Antiochia & in aliis provinciis ſua privilegia, ac ſua dignitates, & auctoritates Eccleſiis ſerventur. Illud autem eſt omnino manifeſtum, quod ſi quis abſque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus, eum magna Synodus definivit non eſſe Epiſcopum. Quod ſi quidem communi omnium electioni, quæ & rationi conſentanea, & ex regula Eccleſiaſtica facta eſt, duo, vel tres, propter ſuam, qua delectantur, contentionem contradicant, vincant plurium ſuffragia.* Eodem fere modo transferunt Dionyſius Exiguus, Iſidorus Mercator, aliique, qui hunc locum attigerunt. Si ex his ego unus eſſem, qui, tamquam ſaxo, voci uni alicui adhæreſcerem, proque verbo, non pro ſententia pugnandum putarem, poſſem fortaſſe jure ſic contendere, nugari egregie adver-

ſarios, ac deſipere, cum ex Patribus Nicænis nobis commemorant Eccleſias Suburbicarias. Nullo loco memorant. Nihil nominant. Tabula eſt in medio, Græcis Latiniſque litteris confecta. Unus inventus eſt Ruffinus Aquilejenſis, qui, cum expenderet Nicænam ſcriptionem, & contrahere atque interpretari mallet, quam ex fide reddere, Eccleſias Suburbicarias nominarit; atque hac ratione extulerit Canonis ſententiam: *Et ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat.* Quem non verba reddere voluiſſe, ſed ſententiam breviſſimam exprimere, manifeſto apparet. Multis etiam poſt ſeculis Juſtellus, qui codicem proferret vetuſtiſſimum, quo in codice ex Synodo Chalcedonenſi Canon verbis hiſce inſcriberetur:

De primatu Eccleſiæ Romanæ, & aliarum Civitatum Epiſcopis.

Deinde hoc modo redderetur:

Antiqui moris eſt, ut urbis Romæ Epiſcopus habeat principatum, ut ſuburbicaria loca, & omnem provinciam ſua ſolicitudine gubernet. Quæ vero apud Ægyptum ſunt, Alexandriæ Epiſcopus omnem habeat ſolicitudinem. Similiter autem & circa Antiochiam, & in cæteris provinciis privilegia propria ſerventur Metropolitanis Eccleſiis. Omnimodo autem manifeſtum eſt illud, ut ſi quis ſine arbitrio ejus, qui eſt in Metropoli, conſtituerit Epiſcopum, hunc cenſuit ſanctum & magnum Concilium, non eum eſſe Epiſcopum. Sed verſio hæc, ut ampla nobiliſque ſit; ut retineat ſen-

ſententiam; verba tamen verbis omni ex parte minime reſpondent. Vis enim Canoni prorſus fit, cum ſuburbicaria loca eidem inſeruntur. Si diſputatio itaque ad verba referatur, puto nihil habere eos, qui in nos tulere arma, quo vehementer poſſint gloriari. Videamus nunc de ſententia; in qua eruenda quæ non Aleander? quæ non Darthiſius? quæ non Valeſius? quæ non fæx mortalium miſcuit Calvinus? Quæ non excogitata? quæ non collecta ex antiquis monumentis? quæ non tradita ab illis ſunt, ut Eccleſiæ Suburbicariæ, quas princeps prodidit Ruffinus, traducerentur ad Canonem Nicænum, inque iis contentionis funis duceretur? Porro traducantur; quod per alios licuit, per me licet; ſed hæc hactenus, dum venia mihi detur, libere diſceptandi, ac diſſentiendi, ſi neceſſe ſit, ab his, qui ante me locum expenderunt. Atque ut res ordine tradatur, primum demonſtrabo, quænam fuerint Eccleſiæ ac Provinciæ Suburbicariæ. Deinde quænam fuerit poteſtas Pontificis Romani & in eas, quæ Suburbicariæ eſſent, & quæ non Suburbicariæ. Poſtremo de comparatione agam trium poteſtatum ex Canone Nicæno. Hæc tria cum docuero, perorabo. Principio igitur certum eſt, Eccleſias Suburbicarias eas eſſe, quæ Provinciis continentur Suburbicariis. Quemadmodum enim Orientales Eccleſiæ, Aſianæ, Ægyptiæ, eæ appellantur, quæ in Oriente, Aſia, atque Ægypto ſitæ ſunt, ita Eccleſiæ Suburbicariæ aliæ ab iis eſſe non poſſunt, quæ Provinciis Suburbicariis

riis

riis concluduntur. Convenit hoc inter omnes. Porro Provinciæ Suburbicariæ eæ ſunt, quæ ſunt ſub urbem, proximeque ad eam pertinent; & procul ab urbe diſſitis provinciis P.R. ut Africæ, ut Galliæ, ut Hiſpaniæ, ut Illyrico, ut Britanniæ, opponuntur. Id locis pluribus poſt paullo commode demonſtrabo, nunc unico dumtaxat, nimirum L. XXXIV. Codicis Theodoſiani lib. VIII. tit. V. qua conſtitutum eſt, ut lata lex de Africa proconſulari pertineat etiam ad Provincias Suburbicarias. Ex quo intelligitur Provinciam Africam Provinciis Suburbicariis opponi, aliamque omnino ab iis eſſe. Quod ſi verum eſt, apparet, eos decipi inſigniter, qui Provincias Suburbicarias eas eſſe contendunt, quæ plaga Occidentali, vel etiam Romano toto Imperio definiuntur. Cæterum ut negari non poſſit, Provincias Suburbicarias eas eſſe, quæ non ſunt procul diſſitæ ab urbe, non minima eſt tamen difficultas, in finibus illarum conſtituendis. Variæ de hac re a viris eruditiſſimis dictæ ſunt ſententiæ. Gotthofredus & Salmaſius cenſuere, eas intra centeſimum ab urbe milliare fuiſſe definitas; illaſque eſſe, ut putat Gotthofredus, Tuſciam Suburbicariam, Picenum Suburbicarium, Latium vetus, ac Latium novum; ſeu, ut exiſtimat Salmaſius, Tuſciam, Picenum, Latium, & Valeriam. Alii hanc dixere, Romani Imperii fines, vel ſaltem Occidentis, Provinciarum Suburbicariarum fines eſſe; quod Baronius, Perronius, Bellarminus docuere. Alii iis limitibus

bus concludunt, quibus jurisdictio Præfecti urbi, seu Vicarii conclusa fuit, nempe Provinciis decem, quarum prima Campania est; altera Hetruria, & Umbria; tertia Picenum Suburbicarium; quarta Sicilia; quinta Apulia, & Calabria; sexta Lucania, & Brutia; septima Samnium; octava Sardinia; nona Corsica; decima Valeria. Ejus sententiæ auctor est Sirmondus, quam plurimis firmamentis communivit; eamdemque ego semper omnium verissimam existimavi, quod manifeste ex libris Juris Civilis colligatur; sine cujus præsidio, bonorum omnium fuit semper opinio, vix quidquam, aut ne vix quidem, intelligi posse Juris Pontificum; eosque qui contra sentiunt, labi, errare, cæcutire. Atque ut appareat, decem Provinciarum finibus, quas paullo ante commemoravi, Provincias Suburbicarias, seu urbicarias, conclusas a veteribus, & appellatas hoc nomine fuisse, paucis res altius est aperienda. Universum Romanum Imperium in Orientem & Occidentem temporibus vetustissimis tributum fuisse, neminem vestrum ignorare arbitror. Porro Oriens in partes quinque, quas majores nostri diœceses appellarunt, divisus fuit, nempe Ægyptum, Asiam, Pontum, Thraciam, & Orientem peculiariter appellatum. Hæ rursus in Provincias, de quibus non est hic locus. Occidens eadem ratione in portiones suas est distributus, septem scilicet, Africam, Illyricum, Galliam, Hispaniam, Britanniam, atque in binas Italiæ diœceses, quarum altera Italica di-

dicta est, altera urbicaria. Harum singulæ in suas provincias. Missis cæteris, in una Italia subsistamus. Igitur Italica dioecesis in Provincias septem divisa fuit; quarum prima Liguria fuit; secunda Æmilia; tertia Flaminia, seu Picenum Annonarium; quarta Venetia, cui deinceps Istria adjecta est; quinta Alpes Cottiæ; sexta & septima utraque Rhætia. Harum omnium caput, sedesque fuit Mediolanum; inque ea urbe esse consuevit is magistratus, qui præfuit dioecesi Italicæ, quem veteres Italiæ Vicarium nominarunt. Altera autem Italiæ pars, quæ urbicaria ab urbe Roma dicta est, divisa in Provincias decem fuit, de quibus supra demonstratum est. Hæ Provinciæ ab urbis nomine, & urbicaria dioecesi, urbicariæ, vel Suburbicariæ appellatæ sunt; iisdemque magistratus, quem veteres vocarunt Vicarium Romæ, præfuit. Præfecti utrique summo magistratui, Præfecto scilicet Prætorio Italiæ, paruerunt. Id constat ex Notitia Imperii, ex Notitia Vaticana, atque ex omni historia. Constat ex Jure Civili, lib. nempe II. Codicis Theodosiani tit. XVI. cap. IX. quo loco hæc verba habentur: *Non enim per Italiam tantum, sed etiam per urbicarias regiones, & Siciliam, patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires servandas esse perspeximus*. Aperte hac lege indicantur, Auditores, Vicariatus, seu Præfecturæ duæ Italiæ, Italica nimirum, & urbicaria, neque ullus potest contra hæc hiscere. Indicantur Codicis ejusdem lib. II. tit. X. quo loco litteræ leguntur Gratiani Impe-

peratoris ad Probum Præfectum, ut legem de privilegiis per dolum impetratis confirmet, *per omnem Italiam, tum etiam per Urbicarias, Africanasque regiones, ac per omne Illyricum*. Hac lege dioeceses quattuor Occidentis commemorantur; Illyricum, Africa, binæque Italiæ, Italica nimirum, & Urbicaria. Singillatim dioecesis Urbicariæ provinciæ enumerantur Codicis ejusdem Theodosiani lib. II. tit. XXVIII. cap. VII. his verbis: *Campania, Tuscia, Piceno, Samnio, Apulia, Calabria, Brutiis, & Lucania ...... in omni præstationis modo, quem antiqua solemnitas detinebat, quattuor partes jubemus auferri*. Cap. autem XIV. ejusd. tit. nominatim Urbicariæ appellantur. Verba hæc sunt: *Quod de annonariis functionibus per Urbicarias regiones clementia nostra concessit*. Prætermittuntur superiore enumeratione dioecesis Urbicariæ quattuor provinciæ, Valeria nempe, tresque insulæ, Sicilia, Sardinia, Corsica, ob hanc caussam, quod Valeria Samnio commisceretur; porro insulæ proprios haberent magistratus vectigalibus ac portoriis exigundis. Arbitror ex his liquido apparere, quænam fuerint Ecclesiæ, & Provinciæ Suburbicariæ. Quæ si vera sunt, omnino errarunt, qui docuerunt, eas esse, & appellari oportere, quæ finibus Occidentis, vel totius Romani Imperii concluduntur. Horum sententia vel unis litteris Valentiniani, Valentis, & Gratiani ad Ampetium convellitur, quibus litteris Ursicino in Gallia exsulanti potestatem faciunt inde discedendi; hanc tamen his verbis legem adjiciunt,

ne ad urbem Romam, vel Suburbicarias Regiones pedem inferat. Idque se facere beneficio illius profitentur, *natura sua mansuetudine levigatos*. Si Regiones Suburbicariæ sunt omnes, quæ vel Occidente, vel Romano Imperio universo continentur; easdemque ingredi non licuit Ursicino, postulo, quæ gratia illi facta est? quod collatum beneficium? Quæ tandem erit mansuetudo illa levigata Imperatorum? videte, Auditores, quam largi, benignique fuerint Imperatores! Ante datas litteras ad Ampetium, licuit Ursicino, in Gallia commorari; esse in Occidente, atque intra fines Romani Imperii. Post datas litteras, quibus fit illi gratia, & Gallia, & Occidente, & toto Romano Imperio eidem interdicitur. Intelligitis, quam sint hæc ridicula. Errarunt etiam ii, qui animis obstinatis contenderunt, Provincias Suburbicarias intra centesimum ab urbe milliare fuisse definitas. Caussæ errandi illis plures fuere. Puto in rem fore, brevi illas attingere. Principio eos decepit l. I. Cod. Theod. de calcis coctoribus tit. VI. lib. XII. Constantinus Imperator dat litteras hac sententia ad Præfectum urbi, ut quattuor regionibus ad calcem convehendam boves trecentos imperet. Sic igitur illi ajunt, quattuor eas regiones, alias non esse, quam quæ Præfecto paruere, Tusciam nimirum, Picenum, Latium, & Valeriam; ideoque hoc nomine ad Præfectum datas litteras. Porro eas regiones intra centesimum ab urbe milliare fuisse conclusas, constare ex Ulpiani lib.

ſingulari de officio Præfecti urbi, ex aliis etiam. Dii boni! quam homines aliquando in luce media nihil vident! quam ego doleo, Gothofredum, ſummum Juriſconſultum, miſere ineptire! quam etiam pudet, Dupinum, Marcam, Sirmondum, cæteroſque hæſiſſe, regionibus injectis. Ego ſic ajo paucis, regiones, quarum meminit Conſtantinus ſuis litteris; quaſque nequaquam nominat, quænam ſint; non eas eſſe, quæ ſunt ſub urbem; quæque inde Suburbicariæ appellantur; ſed quæ ſunt intra urbem, ut Exquilina, Collina, Palatina, Suburana. Id ita eſſe, apparet ex eodem Ulpiano eodem libro, quo loco hæc habet: *Et urbe interdicere Præfectus urbi, & quâ alia ſolitarum regionum poteſt*. Ac ne quis adhuc hæreat de ſolitis regionibus, præſto eſt Paullus, qui lib. ſingulari de officio Præfecti vigilum has interpretatur his verbis: *Cæſar itaque ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit, ut binas regiones urbis unaquaque cohors tueatur*. Deinde quod pronunciant, regiones illas quattuor ſuas Suburbicarias intra centeſimum ab urbe milliare fuiſſe concluſas, falſum eſt. Picenum Suburbicarium extra centeſimum ab urbe lapidem ex Notitia Imperii, & ex Itinerario Antonini fuiſſe, omnino conſtat. Latium novum inter Provincias numquam habitum fuiſſe; Valeriam ultimis dumtaxat temporibus, apparet ex notitia Italiæ, & ex Paulli Diaconi hiſtoria Longobardorum lib. II. Poſtremo hoc videant, qui tantopere ſibi placent de lapide centeſimo, ex

Ulpiano, ne contra hic idem ſentiat eodem libro; tum de Præfecto urbi, ne idem omnino ſit, qui Vicarius Romæ. Fucum etiam fecit Notitia Imperii Salmaſio & Gotthofredo; eo enim libro Tuſcia & Picenum dumtaxat, Provinciæ Suburbicariæ appellantur. Conficitur hinc, inquiunt, cæteras non fuiſſe Suburbicarias. Cur ergo, inquam ego, vos Latinam regionem, & Valeriam Suburbicarias appellatis? In Notitia Imperii hoc nomine non appellantur. Sed rem ad pauca. Ideo Tuſcia & Picenum Suburbicariæ in Notitia appellantur, ut ab annonariis diſtinguantur. Fuit enim Picenum & Tuſcia etiam annonaria. Deinde, cum in Notitia Tuſcia dumtaxat, & Picenum nominantur Suburbicariæ, non id conficitur, quod illi volunt, cæteras non eſſe Suburbicarias. Dupinus homines ad incitas adegit. *Cum tractum*, inquit, *Lutetiæ vicinum, Franciam appello, non propterea nego alias provincias Galliæ ad Franciam pertinere*. Poſtremò verba decepere, a me ſupra commemorata, quæ inveniuntur tit. XVI. lib. II. Cod. Theod. cap. IX. Verba hæc ſunt: *Non enim per Italiam tantum, ſed etiam per Urbicarias regiones, & Siciliam, patrimonialium, & emphyteuticorum fundorum vires ſervandas eſſe perſpeximus*. Sicilia, inquiunt, ſi Suburbicaria eſt, cur ſeorſum a Suburbicariis enumeratur? Non eſt igitur Suburbicaria. Sirmondus reſpondet, id propterea factum, quod illa proprium haberet rationalem, cum cæteræ Suburbicariæ eum haberent, qui eſſet Romæ, quod

quod intelligitur ex Notitia Imperii sect. XLIII. Placet hoc loco Sirmondi argumentationem de hac re adversus Salmasium commemorare. *Si Siciliam*, inquit, *a Suburbicariis lex illa penitus excludit; de lege altera, quæ unica est in Codice Theodosiano, Si per obreptionem, quid censes? Quæro enim, cum Præfecto Italiæ, & Illyrici præcipit Imperator, ut per omnem Italiam, tum etiam per Urbicarias, Africanasque regiones, ac per omne Illyricum (hoc est per omnes Præfecturæ illius diæceses) legem promulget, Siciliam ecquo putes harum partium capite contineri? Exclusam enim, opinor, non dices, cum Italiæ Præfecto paruisse Siciliam, non dubites. Qua igitur in parte comprehensam putas? Illyrico ne, an Africa? ridiculum sit suspicari. Nam Italiæ insulam fuisse Siciliam quis nescit? Sed cum Italiæ duæ fuerint diæceses, quæ hac in lege distinguuntur, Italica & Urbicaria, ad Italiæ diæcesim pertinuisse Siciliam, cum Italiæ Vicario non subesset, absurdum est, affirmare. Restat ergo, ut Urbicariarum numero comprehendatur.* Sed jam quænam fuerit potestas Pontificis Romani in Ecclesias Suburbicarias, & non Suburbicarias, paucis ostendamus. Res autem continuo apparebit, si personæ, quæ eidem insunt, expendantur. Est enim & Episcopus urbis Romæ, & Metropolitanus diœcesis Urbicariæ, & Patriarcha Occidentalis, Caput denique & Princeps Ecclesiæ universæ. Ac de eo, quod postremo loco diximus, primum dicamus. Si hoc nomine igitur intelligatur, ut in omnem Ecclesiam obtineat principatum, cuncta ordine illi subsunt, quæ perti-

nent ad Ecclesiam; summaque est illius jurisdictio. Principatu enim posito, hæc facile consequitur; eaque si tribuatur, jura condere, reddere judicia omnino poterit. Manant hæc omnia ex natura principatus, nec possunt distrahi. Sunt tamen, qui Pontificibus Maximis hanc legum ferundarum potestatem denegent; sunt, qui convellant principatum. Possem prioribus, non dico testimonia aliquot, petita ex Patribus, ex Conciliis petita, commemorare, sed acervos ac volumina, si temporis angustiæ paterentur; possem Sozomeni, Socratis, Patrum Nicænorum sententias recitare; Julii Epistolam de hac ipsa re ad Orientales; Siricii, Liberii facta, Innocentii primi, Zosimi, Cælestini, Hilarii. Sed ne nimis multa. Sic arbitror, rem confectum iri, si hoc loco ejus hominis auctoritate utar, cujus hominis auctoritatem, potestatem, & imperium venerentur. Constitutio est Valentiniani Imperatoris, Codici Theodosiano adjecta. In ea hæc verba habentur in hanc rem: *Cum igitur*, inquit, *sedis Apostolicæ primatum, Sancti Petri meritum, qui princeps est sacerdotalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas*. Deinde primatu constituto, inde potestatem elicit legum ferundarum his verbis: *Verum ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, nequid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat, sine viri venerabilis Papæ*

urbis

urbis æternæ, tentare; sed illis omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedis auctoritas. Quod pertinet ad posteriores, qui hac re maxime delectantur, ut manu cernant adversus Pontifices de illorum principatu, ea dumtaxat his loca attingam, contra quæ hiscere nullo modo possint; nempe Afrorum Patrum testimonia, Hieronymi, Irenæi, Concilii Aquilejensis, cui præfuit Ambrosius. Cyprianus itaque Epistola LV. sic tradit, Ecclesiam Romanam esse *Petri Cathedram, & Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est.* Optatus Millevitanus lib. II. contra Parmenianum hæc habet: *Igitur*, inquit, *negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo Episcopalem cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli, singulas sibi quisque, defenderent; ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.* Porro Petrum rogatum fuisse a Christo, ut unitas Ecclesiæ commonstraretur, ac Petro ipsi dignitatis ejus principatus tribueretur, *qua totius Ecclesiæ repræsentaret figurata generalitate personam* & sæpius, & pluribus docuit Augustinus. Docuit Hieronymus lib. I. contra Jovinianum, his verbis etiam in Epist. ad Damasum: *Ego*, inquit, *nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram, Ecclesiam ædificatam scio. Quicumque, extra hanc domum, agnum comederit, profanus*

fanus est. Docuit Irenæus lib. III. cap. III. cujus hæc sunt verba: *Ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam*. Postremo aperte id intelligitur ex Epist. Concilii Aquilejensis ad Gratianum, cujus verba hæc sunt: *Totius orbis Romani caput, Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. Inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant.* His paucis generi utrique arbitror abunde satisfactum. Est Pontifex Romanus, Patriarcha Occidentalis. Hoc nomine video Leonem compellatum act. III. Synodi Chalcedonensis; Hormisdam etiam litteris Justini Imperatoris. Præterea Justinianus Imperator in Novella CXIX. edita anno DXLI. cum quinque Patriarchas percenseret, primo loco meminit Patriarchæ Hesperiæ & Romæ. Quo loco non Italiam, quod plures docuere, sed omnem Occidentem significari Hesperiæ nomine vetus Interpres Novellarum tradit. Eoque sensu Theodoreto Episcopi Occidentales οἱ τῆς ἑσπερίας dicuntur, & apud Socratem ἑσπέριοι. Basilius Epist. X. Occidentalium Coryphæum nominat; Augustinus lib. I. contra Julian. Ecclesiæ Occidentalis Præsidentem. Hoc consilio existimo Patres Concilii Arelatensis, Epistola Synodica ad Silvestrum Pontificem, palam docuisse, eum majores diœceses tenere; quod nimirum, cum singuli Orientis Patriarchæ singulis diœcesibus præessent, Silvester Pontifex diœceses septem Occidentis obtineret.

neret. Id si verum est, apparet, Pontificem Romanum, ea potestate ac jurisdictione præditum fuisse per Ecclesias omnes Occidentis, qua auctos ornatosque in sua quemque dioecesi Orientis Patriarchas viri docti profitentur. Est Metropolitanus dioecesis Urbicariæ. Porro Metropolitani potestatem his fere rebus contineri, a sapientissimis quibusque didici, ut Episcopos sibi subjectos possit ad Synodum evocare; ut Episcoporum ordinationes persequatur; ut sententiam ferat de caussis majoribus. Hæc acta omnia a Pontificibus Romanis, tamquam dioecesis Urbicariæ Metropolitanis, omnino certum est. Hinc Concilia tot Romana, in urbe Roma habita, tamquam sede diecoesis Urbicariæ. Hinc ordinationes Episcoporum sexaginta novem, quorum meminit Notitia Vaticana; quibus fere conflata erat Urbicaria dioecesis. Hinc judicia tot reddita a Pontificibus de rebus gravioribus. Est denique Romanus Pontifex, Episcopus urbis Romæ. De qua re non multa nunc hoc loco dicam; cum videam, omnium consensu, & esse illum, & haberi, finibus contractis, Episcopum urbis Romæ. Exstant in eam rem inscriptiones veteres & Occidentalium Patrum, & Orientalium, Romanique agri portio quædam etiamnum hoc nomine ab eo administratur. Nunc id est reliqui, ut de comparatione agam trium potestatum ex Canone Nicæno. Meletium in caussa fuisse, cur is Canon a Patribus Nicænis ederetur, & censuit Launojus, & apparet ex historia Concilii Nicæni.

Nem-

Nempe is Meletius Episcopus Ægyptius fuit. Cum fœde ac flagitiose viveret, eo nomine accusatus, in frequenti Episcoporum conventu, a Petro Alexandrino Metropolitano sede sua deturbatus est. Id cum animo iniquissimo Meletius tulisset, omnem fere Ægyptum perturbavit. Episcopos, Presbyteros, Diaconos creavit & Ægypto & Palæstina. Ea res Alexandrum, qui post Petrum & Achillam Ecclesiæ Alexandrinæ præfuit, vehementer commovit; cum præsertim acres turbæ Asianorum, & pestis Ariana adjungeretur, quæ longe ac late grassabatur. Hortatu igitur illius, & Silvestri Pontificis Romani auctoritate, Synodus Nicææ indicta est a Constantino Imperatore. Eo convenere ex omni Romano Orbe Episcopi CCCXVIII. vitæ sanctitate, & divinarum scripturarum scientia plane admirabiles. Canones XX. ab his constituuntur. In his IV. est, & VI. in rem nostram. Cautum est IV. ut in singulis Provinciis, suffragio ac præsentia, quoad ejus fieri posset, omnium Episcoporum provincialium Episcopi crearentur; sin minus id liceret, tres saltem adessent; reliqui per litteras consentirent. Cæterum res omnis acta ab his, ut rata firmaque tum demum haberetur, cum auctoritas accederet & confirmatio Metropolitani. Cautum est VI. ut duæ diœceses, Ægyptus & Antiochia inde exciperentur. Nempe ut in Ægypto, quæ Provinciis V. conflata erat, Episcoporum ordinationes, non singularum Provinciarum singulis Metropolitanis probarentur,

sed

ſed judicio unius Alexandrini Epiſcopi, quaſi is eſſet ſingularum quinque Provinciarum Metropolitanus. Id ipſum tributum eſt Epiſcopo Antiocheno, cujus dioeceſis, quæ Orientalis dicta eſt, Provinciis decem comprehendebatur. Eaque a Patribus eo nomine conſtituta ſunt, quod moribus jamdiu ita comparatum eſſet; quos mores tamen libidine & cupiditate ſua Meletius turbaverat; deinde, quod ea etiam eſſet conſuetudo in Urbicaria dioeceſi, ut Pontifex Romanus in ſingulis quibuſque Provinciis decem Suburbicariis unus ac ſolus Metropolitanus haberetur; cunctaque in his illius auctoritate & conſilio agerentur. Atque hoc ipſum illud eſt, quod litteris ad Alexandrum Antiochenum tradit Innocentius I. Canonibus Nicænis, *non ſuper unam Provinciam, ſed ſuper diœceſim eum eſſe conſtitutum, ut Metropolitanos auctoritate ordinet ſingulari, & cæteros non ſine permiſſu & conſcientia ſua ſinat Epiſcopos procreari*. Quod Hieronymus etiam in Epiſtola ad Pammachium, ſtatutum eſſe a Patribus Nicænis, *ut totius Orientis Metropolis eſſet Antiochia*. Ex quattuor igitur perſonis, quas Pontifici Romano ineſſe diximus, perſona Metropolitani ſumta eſt. Cum hac collatæ poteſtates duæ; Alexandrina & Antiochena; cæteræ relictæ. Collati Metropolitani tres; collata, quæ appellant, jura Metropolitica; honores habiti ſingulares tribus urbibus, omnium nobiliſſimis, Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ. Ubi nunc igitur ſunt, qui audaciſſime ſic contendunt, Pontificis Romani poteſtatem, finibus

Sub-

Suburbicariis initio definitam, libidine deinceps & cupiditate eo provectam, ut cæteras absumeret? Sed modus sit jam aliquis. Recte. Afer in Eunucho:

Is ne erret, moneo, & desinat lacessere:
Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur;
Quæ proferentur post, si perget lædere
Ita, ut facere instituit.

D I X I.

